PA 6448
.B7
Copy 1

Satirae D. Junii Juvenalis

cum commentario et interpretatione suecana,

quarum primam

Cons. Ampliss. Fac. Philosoph.

pro gradu philosophico

p. p.

FREDR. EM. BRAUNE,

Gothoburgensis.

In Academia Carolina Nonis Decembr. MDCCCLVII,

h. l. q. s.

Lundae,

typis Berlingianis,

MDCCCLVII.

Praeceptori optimo carissimo

Mag. FREDERICO E. BORG

Rect. Schol. Malmogiensis

Reg. Ord. d. St. Pol. Equiti

hoc opusculum

dedicat

discipulus.

PA6448
.B7

Prooemium.

I. De vita Juvenalis.

Haud scio an in nulla re dijudicanda tantum inter se distent viri doctissimi, quantum de vita Juvenalis dissentiunt; quod quum ita sit neque inter diversas opiniones priorum et complures etiam inter se contrarias facilis sit electio, rem tamen, ut potero, summatim breviterque exponam eaque maxime quae haec aetas de Juvenale sibi jam persuasit. Et potissimum studebo, ut, ubi quid verissimum sit non possit extricari, quid verisimillimum tamen inveniamus.

Atque causae, quibus effectum est, ut doctissimi viri de vita Juvenalis adeo discrepent, ex eo sunt repetendae, quod ipsa antiquitas de poëta nec multa et illa diversissima nobis tradidit. Et sunt in manibus nostris vitae Juvenalis non paucae quidem, sed compluribus locis inter se contrariae, nec magnae fidei et autoritatis. Quarum novem vidi. Primam tamquam Probi [1]) edidit Georgius Valla (I), alteram e cod. Vossiano Henninius (II), tertiam sub Donati nomine idem (III), quartam e cod. Kulenkampiano Ruperti (IV), quintam e cod. Bodleiano attulit O. Müller (V), sextam a quinta et rebus et verbis parum distantem Achaintre e cod. Omniboniano edidit (VI), septimam e cod. Vaticano descripsit Th. Mommsen (VII),

[1]) Licet ea vita a Probo aliquo sit confecta, non certe a Valerio Probo, quem Neronis temporibus floruisse constat.

octavae summam Justus Lipsius ex libro Divaeano excerpsit (VIII),[2]) nonam e cod. Rehdigeriano G. Pinzger (IX) [3]). Quibus si addimus ea, quae ex antiquis scriptoribus, Martiale (VII. 24. VII. 91. XII. 18), Ammiano Marcellino (XXVIII. 4 §. 14), Sidonio (Carm. IX. v. 266), Scholiasta, caet. ad vitam Juvenalis illustrandam afferri possunt, habebimus illos quasi fontes, ex quibus si caute ac diligenter hauserimus, aliquid sane pro certo statuemus.

Sed antequam ad propositum ibimus, de ratione, quam secuti sunt vitarum illi scriptores, aliquid mihi videtur esse praedicendum. Qui omnes aut librarii fuerunt, qui quum codicem aliquem transcripsissent, quod de autore apud veterem aliquem vitae scriptorem invenerant, in breviorem formam redactum libro suo addiderunt, nonnulla infercientes, quae quamvis non satis certis testimoniis confirmata, aut de veterum scriptorum copia passim excerpserunt aut, nullo autore pro teste adhibito, ipsi ex verbis poetae, cujus tali modo conscribebant vitam, sibi visi sunt posse colligere — aut homines otiosi, qui dum in legendo poëta versantur, eodem fere modo, quae de poëta vel certo sciebant vel scire se opinabantur, omnia congesserunt, certa et incerta, vera et falsa non satis prudenter ac religiose discernentes. Quae quum ita sint, nihil est cur miremur, quod in illis, quae exstant, poëtae nostri vitis multa sunt de alia in aliam iisdem paene verbis translata, aliqua leviter mutata, non pauca diversissima. Ac si omnia diligenter collustramus, facillime inveniemus illas vitas in duas stirpes potissimum esse disponendas, quarum alteri Bodleianam et Omnibonianam, maxime inter se et rebus et verbis consentientes, adnumeramus,

---

[2]) Has octo, quas dixi, vitas Otto Jahn in editione Juvenalis (Berolini 1851) collegit.

[3]) In Neue Jahrbb. f. Philol. u. Paedag. XIV. p. 267.

alteri, sola Kulenkampiana fortasse excepta, caeteras omnes. Illa enim vitarum quasi familia, a qua scholion ad VII. 93. adscriptum proxime abest, quod e cod. olim Bongarsiano decerptum cel. C. F. Herrmann [4]) cum doctis communicavit, quin ex communi nescioquo fonte emanaverit, non dubito, videns, qvantum illae vitae — nec minus scholion Bongarsianum — inter se sint similes. Quod autem Omniboniana, cui adsentitur schol. Bongars., a *Traiano* imperatore Juvenalem relegatum esse testatur, id jam Hermann [5]) recte suspicatus est librariorum incuria vel inscitia effectum esse, qui pro *Tyranno*, quod habet vita Bodleiana, in eo ipso fonti quem dixi genuino propius accedens, verborum similitudine adducti *Traiani* nomen substituerint. Altera familia plures vitas complectitur, longius quidem inter se verbis et sententiis passim distantes nec tamen adeo, ut non videamus, etiam eas ex communi fonte multa quae produnt, hausisse. Sed haec hactenus; reliqua, quae opus erit, mox videro.

Nunc igitur primum videamus, quae ad vitam Juvenalis describendam accommodata e consensu horum caeterorumque testimoniorum, nullo repugnante, erui possint. — Natus est Juvenalis Aquini [6]), municipio Latino, quo illum etiam postea, ut animum relaxaret, interdum se contulisse ex ipsius verbis (III. 319) colligere licet, obscuris majoribus, quippe quem filium aut alumnum libertini locupletis fuisse tradant [7]). A quo eum villam

---

[4]) De Juvenalis satirae septimae temporibus. Gotting. 1843 p. 9.

[5]) Ante Edition. Juven. Lips. 1857 pag. V.

[6]) II. III. IV. VII. IX, quibus non repugnant V. VI, ubi narratur Juvenalem ex. Aqvino municipio Romam se contulisse, adsentitur etiam Scholiasta (ad III. 319), hoc tantum a vero aberrans, quod Aquinum civitatem Campaniae appellat.

[7]) I. II. — "ordinis ut fertur libertinorum" IV.

Tiburtinam, quam in satira XI describit, hereditate accepisse W. E. Weber est suspicatus [8]). Non mediocriter doctrina instructus (cfr. I. 15, 16), usque ad mediam aetatem [9]) rhetoricis studiis intentus nonnisi animi causa declamabat, non quo is, copiis rei familiaris satis locuples, scholae se aut forensibus certaminibus praepararet [1]). — Quare Martialis, cui erat intima amicitia conjunctus Ep. VII. 24. XII. 18), *facundum* eum nominavit [2]). — Tum demum paucorum versuum satiram composuit, qua Paridem histrionem apud imperatorem maxime pollentem, poëtas militaribus honoribus foventem irrisit, neque in hac consistens, satiris componendis eo acrius, quo majore audientium et legentium plausu excitabatur, operam dedit. Quod tamen studium ita ei fuisse perniciosum, ut imperator ob eam satiram iratus, qua histrionem laeserit, sub specie honoris praefectura cohortis quasi ornatum in fines imperii Juvenalem relegarit, veteres testes uno ore omnes consentiunt [3]), nec est ulla dubitatio, quin exsilii causa fuerint illi versus (VII. 90 sqq.): *quod non dant proceres, dabit histrio; tu Camerinos et Bareas, tu nobilium magna atria curas? Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.*

Haec habui, quae afferrem veterum testium consensu tam confirmata, ut prorsus non intelligam, cur de vita Juvenalis Düntzer [4]) et Francke [5]) paene omnia quae no-

---

[8]) Die Satiren des Dec. Jun. Juv. übersetzt u. erläutert, Halle 1838 pag. 223.

[9]) I. II. III. V. VI. VIII. IX.

[1]) I. II

[2]) Mart. VII. 91.

[3]) Vide enim non solum omnes, quas supra commemoravi, vitas sed etiam Sidonium Apollinarem (Carm. IX. v. 266) qui Juvenalem dicit *irati fuisse histrionis exsulem*, Suidam, Scholiasten (ad. I. 1. IV. 38 et Bongars. ad. VII. 93.)

[4]) "Ueber die Verbannung des Juven." in Archiv für Philol. u. Paed. VI. pag. 374 sqq. ubi terminatur disputatio his verbis: — "wie wir denn

bis tradiderunt antiqui, tamquam vel commenticia vel incerta, rejecerint. Quo eos tamen hoc maxime video adductos, quod ipsi veteres neque de imperatore exilii autore neque de loco et tempore exilii satis congruunt. Si igitur de imperatore quaerimus, vitae Kulenkampiana et Lipsiana clarissimis verbis testantur Domitianum [6]) Juvenalem relegasse, iisque Suidas et Scholiastes (ad I. 1. IV. 38) adsentiuntur, Traianum vita Omniboniana et scholion Bongarsianum exsilii autorem nominant, Claudium antem Neronem Mommseniana et Rehdigeriana. Quum autem neque liqueat quomodo Juvenalis, quem adhuc Hadriano imperante vixisse mox videbimus, jam Claudio Caesare propter satiram, quam scripserit ad mediam demum accedens aetatem, relegari potuerit, et maxime sit verisimile, eos qui vitas Momms. et Rehdig. confecerunt, quum memoriae proditum invenerint, Juvenalem Claudii temporibus ortum esse [7]), mira vel inscitia vel negligentia ad eundem Claudium ipsum exilium retulisse, haud scio an Claudius istius rei plane sit absolvendus [8]). Qvi vero Traianum

---

überhaupt in Hinsicht der nähern Verhältnisse des Dichters ganz im Ungewissen sind. Begnügen wir uns mit dem Geständnisse, das feste historische Data uns fehlen; est nesciendi quoque ars."

[5]) Examen criticum Juvenalis vitae (Altonae 1820), quod ipse non vidi.

[6]) "Neque alium, quamvis nomen taceat intelligere poterat quisquis sub Aelii Donati nomine latuit, qui poëtam, ut apud reliquos est, *obtentu militiae urbe pulsum, tandem Romam quum veniret, et Martialem suum non videret, tristitia et angore periisse* narrat." Hermann, De sat. Sept. Juv. temp. pag. 9. Nec vita Vossiana alium ac Domitianum quamvis minus apertis verbis prae se fert, quippe quae Juvenalem Romam reversum "ad Nervae et Traiani principatum" vixisse dicat.

[7]) Cfr. "oriundus temporibus Claudii Neronis" II. III.

[8]) Si quis vero v.v. Mommsenianam et Rehdigerianam non Claudium sed Neronem Caesarem exsilii autorem indicare statuat, haud scio an illa opinio eo confirmetur atque probetur, quod Neronis gratia Paridem histrionem (Tac. Ann. XIII. 19 sqq.) floruisse constet, cum quo biographos

Juvenalem relegasse censeant, hos non posse pro certo testimonio vitam Omnibonianam et schol. Bongars. afferre, jam supra obiter indicavimus, neque erant Traiani mores ita comparati, ut illis versibus quibus Juvenalis in histrionem, apud *Domitianum* gratia et auctoritate florentem, apertissime invectus esset, se ipsum et Pyladen [9]), sibi carum quidem, at certe non tam potentem perstrictos putaret. Sed eo argumento hi, qui pro Traiani nomine pugnarunt, maxime nisi sunt, quod illi versus: *quod non dant* cet. in satira septima, quam Traiano regnante editam esse jam inter omnes constat, inveniuntur. Ibi vero nunc leguntur, at ipsi veteres biographi [1]) memoriae tradiderunt, hos versus primum parvae cujusdam satirae fuisse partem, postea maiori illi "et spes et ratio" insertos, quod quum ita sit, nihil prohibet, quominus et versus illos et exilium, cujus erant causa, a satira septima et Traiani temporibus, quibus ea edita est, omnino sejungamus. Sed sunt, qui Hadrianum exsilii autorem esse doceant; qui quod satiram septimam ad ejus tempora referunt, non vident, Juvenalem in satira, quam Hadriano demum regnante ediderit, inepte Domitiani principatum et Paridem jam quadraginta annos ante mortuum perstricturum fuisse. Nec tamen opus est, quod omnes jam concedunt, pluribus verbis demonstrare, satiram septimam jam Trajani temporibus esse editam. Quomodo igitur Hadrianus ea satira suorum temporum vitia carpi putare poterat? — At illi hoc maxime inducti sunt, ut Hadrianum pro Domitiano substituerent, quod Juvenalem, quem sub Hadriano mortuum esse concedimus, jam octogenarium relegatum

---

illos Domitiani pantomimum, cui idem erat nomen, verisimile sit confudisse.

[9]) Dio Cass. 68. 10.

[1]) I. II. V. VI.

intra brevissimum tempus periisse, in vita Probiana [2]) scriptum invenerunt. Quum autem in ea ipsa re vitae Juvenalis ita inter se dissentiant, ut Vossiana [3]) et Donatiana [4]) Juvenalem Romam reversum esse tradant, Kulenkampiana [5] in exilio quidem eum permanentem per longum temporis spatium vixisse, neque illi quam his major sit autoritas [6]), haud scio an ii, qui Hadrianum Juvenalem in exilium egisse statuant, nimis levibus vagisque usi sint argumentis.

Quae quum ita sint, statuendum esse mihi videtur, a Domitiano Juvenalem esse expulsum. Quem tamen mortuo demum Domitiano Romam esse reversum, ex eo apertissime colligere licet, quod Nerva exules a Domitiano relegatos revocasse traditur [7]), neque repugnant verba Martialis XII. 18, quae Juvenalem Traiani temporibus Romae vixisse indicant. — Verum octoginta vel potius octoginta duorum annorum senem, quod testantur complures [8]), Juvenalem de vita decessisse, cur negemus, nulla causa est. Restat igitur ut exploremus, quo tempore natus sit Juvenalis, quo mortuus. Qui quum ipse XV. 27 se

---

[2]) "*intra brevissimum tempus* (postquam relegatus est) *angore ac taedio periit.*"

[3]) "*intra brevissimum tempus θεὸς ἀυτός* (i. e. Caesar) *adscribitur divorum choro revertiturque Juvenalis Romam, qui tandem ad Nervae et Traiani principatum supervivens senio et taedio vitae confectus.*"

[4]) "*Romam quum veniret et Martialem suum non videret, ita tristitia et angore periit*".

[5]) "*decessit longo senio confectus exul Antonino Pio (?) imperatore*".

[6]) Immo fuerunt, qui vitam Probianam e Vossiana ut archetypo, quod dicitur, excerptam esse censuerint. Cfr. Pinzgerum in N. Jahrbb. f. Philol. u. Paedagogik XIV. p. 265 sq.

[7]) Dio Cass. 68. 1.

[8]) I. III. IX. cl. II. ("*senio* et taedio vitae confectus"), IV ("decessit *longo senio* confectus").

res narraturum esse dicat "nuper Consule *Junco* gestas", quem a. 127 p. C. magistratum tenuisse constat [9]), et jam norimus, Juvenalem, ad mediam aetatem provectum, satiris scribendis operam dedisse, videtur mihi esse verisimile circa a. 47 p. C. eum natum, a. 87 expulsum, a. 129 mortuum esse [1]).

Sed si jam de loco, in quem Juvenalis exulatum iverit, quaeritur, non dissimulabimus, tantum inter se distare vetera testimonia, ut tota quaestio quasi vaga et incerta paene sit omittenda. Quum enim complures vitae [2]) eum in Aegyptum missum esse tradant, Scholiasta (ad. I. 1. IV. 38.) Oasin exsilii locum nominat, Suidas Cyrenen, v. v. Bodlei. et Omnibon. atque Scholion Bongars. Scotiam. Oases quidem ad Aegyptum pertinebant, sed non relegabantur in eas exsules, antequam imperii sedes Constantinopolim est deducta [3]). Quare facile crediderim Scholiasten, quum apud antiquos invenerit Juvenalem in extremam Aegypti partem esse relegatum, Oasin intellexisse, quippe quae et in extrema Aegypto sita esset et in quam ipsius temporibus mitterentur exsules. Nec tamen id, quod supra, Weberum sequentes, attulimus, prohibet quominus Juvenalem, quem non recto exsilio affectum sed sub specie honoris relegatum esse

---

[9]) Vide Hermannum in prooemio Editionis pag. III, auctoresque ibidem laudatos.

[1]) Cfr. Herrman (loco nuper laudato). Ruperti autem quod Juvenalem a. 42 p C. natum esse statuit, lectionem *Junio*, quam jam omnes recentiores ejecerunt, pro *Junco* (XV. 27) exhibuit. Cfr. Rup. D. J. Juvenalis vita per annos probabilibus conjecturis digesta. Quae Bauer (Kritische Bemerkungen über einige Nachrichten aus dem Leben Juvenals) et Pinzger (l. l.) de vita Juvenalis attulerunt, omittere mihi liceat. Id solum monuisse sufficiat, illos Juvenalem a. 27 p. C. natum, a. 109 mortuum esse statuere.

[2]) I. II. IV. VII. VIII. IX.

[3]) W. E. Weber l. l. p. 228.

scia mus,in Oasem se contulisse Scholiastae concederemus, si modo illud caeteroquin constaret. Sed utcumque haec sint, quum tamen his testibus ne Suidas quidem adsentiatur, qui Juvenalem certe in Africam, non vero in Aegyptum sed in Pentapolim exulatum ivisse tradat, hac aliorum testium dissensione eorum autoritas, qui Scotiam in Africae locum supposuerunt quibusdam videntur quodammodo augeri. Quo accedit quod Hermann [4]) titulum Aquini (ubi natus est Juvenalis) repertum [5]), pro testimonio satis gravi attulit; ex quo colligere licet, Juvenalem tribunum primae Delmatarum cohortis, duumvirum (municipii Aquini?) quinquennalem, flaminem Vespasiani fuisse, Cereri (Helvinae [6]) monumentum dedicasse, atque autoribus allatis comprobavit, primam Delmatarum cohortem illis fere temporibus in Britannia tetendisse; quare quum non possit dubitari, quin Juvenalis in Britannia tribuni munere aliquando functus sit, autoritati vitae Bodleianae tantum mihi videtur esse tribuendum, ut ipsum exilium cum ea, quam titulus ille arguit, Britannica militia conjungentes, Juvenalem a Domitiano in Britanniam (Scotiam) [7]) relegatum esse concedamus. Quod autem complures vitae in Aegypto exilii locum posuerunt, id cre-

---

[4]) Cfr. Prooemium Edition. pag. VI. sq.

[5]) Quem titulum ex Mommsen. Inscript. Regni Neapol. (Lipsiae 1852) transcribere nobis liceat:

cere RI. SACRVM
d. iu NIVS. IVVE NALIS.
t RIb. COH. I. DELMATARVM
II. VIR. QVINQ. FLAMEN
DIVI. VESPASIANI
VOVIT DEDIC A Vitq VE
SVA PEC

[6]) Cfr. Juv. III. 320.

[7]) Ubi eo fere tempore Agricolam cum Scotis bellum gessisse ex Tacito cognitum habemus.

diderunt Francke, Hermann, Düntzer [8]) ex ipsius Juvenalis verbis XV. 45 fluxisse, quae quum poëtam aliquando in Aegypto fuisse indicent, veteres biographi ipsum exsilium cum illa in Aegyptum peregrinatione confuderint. Et ut octogenarium eum relegatum esse affirmarent, eo facile eos adductos esse suspiceris quod, quum ille in sat. XV. et in Aegypto se fuisse (v. 45) et res consule Junco ibi gestas (v. 27) narraturum esse dicat, exilium vel peregrinationem sub Iunco consule sibi visi sint posse ponere [9].

Postquam haec, quantulacumque sunt, de vita Juvenalis praemisimus, jam restat, ut pauca disseramus

II. De Juvenalis satiris et genere scribendi.

Id satirarum corpus, quod ad nos pervenit, autorem Juvenalem prae se ferens, sedecim satiras continet, inter quas tamen sextam decimam jam ab antiquis spuriam esse habitam scholiasta testatur [1]). Nec aliter censuerunt complures doctissimi viri recentiorum temporum, inter quos Heinrich [2]), et sententiis et verbis illius satirae inspectis, eam ab alio quodam homine non insulso quidem, non certe a Juvenale confectam esse judicavit. De qua re quum nobis alio tempore disputandum sit, id solum monuerim W. E. Weberum [3]), illam satiram a Juvenale

---

[8]) Francke ex crit., Hermann, de sat. sept. Juv. temp. p. 15, Düntzer l. l. p. 377.

[9]) Inter alios qui de Juvenale scripserunt, qui praeter autores jam laudatos h. l. nominetur, dignus est Völcker, qui libellum edidit inscriptum "Juvenal ein Lebens- und Charakter-bild aus d. Röm. Kaiserzeit" (Elberfeld 1851).

[1]) "ista a plerisque exploditur et dicitur non esse Juvenalis".

[2]) D. Junii Juvenalis satirae cum commentariis C. F. Heinrichii. Bonnae 1839. II. 515 sqq. Cfr. etiam E. Gibbon (Hist. of the Decl. and Fall of the Rom. Emp. Ch. V.)

[3]) In N. Jahrbb. f. Philol. u. Paedag. XXXII. p. 159 sqq.

scriptam sed non absolutam quoddam quasi fragmentum esse, satis gravibus argumentis comprobasse. — Sunt hae satirae (ab antiquis grammaticis, credunt) in quinque libros divisae [4]). Quos libros non omnia, quae scripserit Juvenalis, continere, recensitis verbis veterum vitarum, verisimile judicamus, neque aliter visum est Ussingio [5]).

Omnium, quae sunt in nostris manibus, satirarum nulla ante Nervam Caesarem edita est. Nam primi libri satirarum primam ei libro, quo continetur, ut prooemium quoddam esse additam neque ante a. 100 p. C. [6]) scribi potuisse, unicuique intuenti facile apparet. Quum autem non ita multo post vel scripta sit vel edita, quippe quae tam acri indignatione tempora Domitiani, quasi etiamnunc praesentia, perstringat, haud scio an primus liber a. 100—101 p. C. sit editus. Ac secundam satiram et quartam paullo post mortem Domitiani conscriptas esse ex ipsarum verbis [7]) colligitur, tertiam vero et quintam quominus Domitiani temporibus [8] scriptas, Traiano demum

---

[4]) Liber I. sat. 1—5, II. 6, III. 7—9, IV. 10—12, V. 13—16 continet. — Etiamsi satirae a grammaticis, non ab ipso Juvenale tali modo sint dispositae, ex ea divisione tamen colligere licet, quo ordine quoque tempore jam veteres quamque satiram editam esse censuerint.

[5]) Vide commentarium (ad IV. 1.) quem ille libro, qui inscribitur Poëtae Latini Selecti, Madvigiano adjunxit.

[6]) Quo enim anno Marius Priscus (de quo vide comment.), cujus versibus 47—50 fit mentio apud Senatum accusatus condemnatusque est. Neque ignoro Weberum (ad. vers. Germ. p. 226,233) hos ipsos versus satirae jam perfectae a poeta ipso esse insertos, alia omnia jam vivo Domitiano scripta contendere, sed mihi tamen non videntur operae pretium facere, qui tali modo ubilibet interpolationes quas vocant odorentur.

[7]) Cfr. enim: "qualis erat *nuper* (Domitianus) tragico" cet. II. 29, IV. 153 sqq.

[8]) Nihil enim in illis invenitur scriptum, quod ad posterius tempus referendum sit; et tam prope rebus verbisque quinta abest a tertia (v. III. 125 sq. 184 sq.) ut ambas eodem fere tempore confectas esse verisimile sit.

regnante editas esse contendamus, nihil prohibet. Secundum vero librum, qui sextam satiram continet, haud multo post priorem, esse editum ex eo, quo satirae leguntur, contextu efficitur; et hoc quoque fuerit argumentum quod ü nummi, quorum in vers. 204—205 mentio fit [9]), Trajano demum imperante percussi sunt, quem a. 97 p. C. Germanici cognomine, Dacici autem a. 101 ornatum esse constat [1]). Quare si hanc satiram a. 101—102 p. C. conscriptam esse statuemus, a vero non aberrabimus.

Tertius liber tres sequentes satiras complectitur, inter quas septimam primis Trajani temporibus conscriptam esse jam Hermann [2]) acutissime comprobavit; octava vero paulo post a. 100 p. C. edita est [3]). Quare in temporibus hujus libri indagandis ad annos 102—103 potissimum conducemur. Quartus vero liber quum multa senectutis vestigia tum ingenium etiam tunc tam acre et validum exhibet, ut jam grandem quidem natu neque tam senio confectum, quam tum certe fuit quum quintum librum edidit, eum satiras illas X, XI, XII. scripsisse facile concedamus. At quum satiram tertiam decimam a. 119 p. C. confectam esse ex versibus 16—17 [4]) colligatur, quinta

---

[9]) " Dacicus et scripto radiat Germanicus auro".

[1]) Cfr. Weber l. l. p. 397 sq. Plin. Paneg. 9. 2. Dio Cass. 68. 10. Grässe Handb. d. alten Numismatik, ubi in tab. 29 forma horum nummorum depicta est.

[2]) In disp. De Juv. sat. sept. temp. p. 17 sqq. ubi contra illos, qui Hadrianum in hac satira (vv. 1 sqq.) collaudari censent, hoc fere modo disserit: Quod ii cum Plin. ep. VI. 32 versus 186 sqq. componunt, Quintilianum quendam obscurum hominem, cujus Plinius paupertatem sublevavit, a celeberrimo rhetore, cui idem erat nomen, prorsus discernendum non viderunt; neque fuerat Trajano imperante artium liberalium tam tristis conditio, ut Hadrianus demum solus illo tempore tristes Camenas respexisse dici posset.

[3]) Vide VIII. 120. "Quum tenues *nuper* Marius discinxerit Afros", et cfr. not. 6.

[4]) "Stupet haec qui jam post terga reliquit sexaginta annos, Fontejo

decima mox post a. 127 composita sit [5]); quartus liber quin ad annos 107—117, quintus autem ad 117—129 referendus sit, non dubitemus.

Quod in scribendo consilium quodque orationis genus Juvenalis sectatus sit, jam breviter adumbrabimus — Satiram, quam Quintilianus (X. 1. 93) totam Romanorum esse docet, Lucilius et Horatius ita vel condiderant vel excoluerant, ut eo opere haud facile ullum carminum genus apud Romanos jucundius et ad popularem intelligentiam accommodatius haberetur. Ad quam rem efficiendam etiam id adjumentum fuit, quod nullum genus ita per se ipsum excoli poterat atque adolescere. Quum enim satirae propositum sit, ut mores et tempora, quae semper in motu sint semperque mutentur, nunquam vero insistant, quam accuratissime depingantur, rebus omnibus sensim commutatis, satira quoque ipsa paullatim necesse est quodammodo novetur. Non igitur miremur quod Persius atque Juvenalis, et ipsi inter se dissimiles, a Lucilio et Horatio longissime distant. Nam patriae libertatisque amor atque decori honestique studium Lucilii adhuc vigebant temporibus neque Horatii aetate omnino exstincta erant, quamquam, perturbata vetere disciplina, virtutis honestatisque vis, quam ea maxime et corroboraverat et auxerat, jam quasi vinculis injectis obtundebatur. Neque

---

consule natus". Nam inter Fontejos, qui consulari fuerit sunt numero, aut ejus, qui a. 59 p. C. cum C. Vipsanio consul fuit, aut alius Fontei a. 67 (cum Julio Rufo) dignitate consulari ornati, his versibus fit mentio. Quoniam autem satira quinta decima, quam paullo post a. 127 p. C. confectam esse constat, a tertia decima et argumento et expositione tantopere distat, ut illam aliquanto tempore, postquam haec, scriptam esse verisimile sit. — non possum non eorum sententiae accedere, qui credent priorem Fontejum h. l. designari, et hanc satiram igitur ad annum 119 p. C. referunt.

[5]) Cfr. v. 27 et supra pag. 8.

Persii temporibus adhuc illa turpitudinis tabes, qua velut insania principes civitatis capti erant, in omnes ordines transierat. Quare ut Juvenali non, quemadmodum Lucilio et Horatio, ridentem vitiosos mores perstringere[6]) satis erat, ita non poterat ille, ut Persius, ab hominum consuetudine paene remotus, Stoicorum disciplina solum confidens, in suppressam tristitiam se totum effundere. Quo accedit, quod Juvenalis neque ut Horatius homo erat et omni urbanitate excultus atque expolitus et ad vitam commode atque delicate agendam praecipue idoneus, neque, ut Persius, adolescens bonae sane indolis, litteris tamen magis quam usu rerum eruditus. Nam diu vivens, multa vidit eaque maxime, quae necesse esset omnium animos odio et ira afficerent. Erat enim eo puero recens Tiberii dedecorum flagitiorumque memoria (cfr X. 56 sqq) et vigebat etiamtunc diri furoris, quo Caligula[7]) captus fuerat, tristissima fama; Caligulam mox Claudius[9]) insecutus est Claudiumque Nero[9]); quibus imperantibus palatium ipsum mutuis principum cladibus, saevissima crudelitate, turpissimis libidinibus contaminatum est. Jam ad juvenilem aetatem provectus, Galbam, Othonem (II. 99), Vitellium, Vespasianum, alium post alium cum ingenti civium caede, magna reipublicae pernicie dominatione gentium potiri vidit. Nec diu gens Flavia viguerat, quum jam Domitianus[1]) imperio ornatus orbem terrarum per quindecim annos saevitia et crudelitate vexaret. Ea igitur proximorum temporum tristissima conditio satirarum scriptori copiosam praebuit materiam neque libertas scri-

---

[6]) "ridentem dicere verum quid vetat?" Horat. Sat. I. 1. 24.

[7]) Cfr. VI. 615.

[8]) V. 147. VI. 115 sqq. 620 sqq. X. 330 sqq. XIV. 330.

[9]) IV. 137. VIII. 193, 211 sqq. X. 15. 308 caet.

[1]) II. 29. IV. caet.

bendi Nerva et Trajano regnantibus defuit. Quam rerum ingentem silvam ita tractavit, ut eam, quae praeterito tempore viguisset, morum simplicitatem, duram quidem sed honestam et gravem [2]), deorum cultum, temerarium quidem at sincerum [3]), domesticorum denique illam, quae olim fuisset, admirationem atque amorem non sine desiderio respiceret. Itaque in exquisitam et dissolutam temporum suorum luxuriam, in impietatem in dies gliscentem, cui, ut corruptis moribus fieri solet, admixta erat vilissima superstitio [4]) in eum peregrinitatis amorem, quo magis magisque ingravescente effectum erat, ut receptis externis maximeque Graecis moribus Romana omnia despicerentur [5]) — in ea igitur omnia potissimum invectus est. Nam quippe qui ipse vir esset ingenii simplicis et sane sanctioris, quam pro moribus ejus aetatis [6]), necesse erat de luxu isto succenseret, quo effeminata mollitia atque turpissimae libidines velut quodam velamento praetextae essent. Et quamquam ipse, a publicorum ejus aetatis sacrorum absurditate abhorrens, non potuit facere quin et veterum deorum imbecillitatem [7]) et ea, quae de illis turpia et inhonesta antiquis fabulis tradita essent [8]), irrideret, tamen id ipsum deploravit quod jam in nullo divino numine pie colendo ipse et alii fidenti animo requiescere poterant. Etiam id aegerime tulit quod Romanis usque admiscerentur vilissimi homines ex diversissimis mundi partibus confluentes, qui mox ad summos honores adscenderent [9]).

---

[2]) XI. 77 sqq. caet.

[3]) II. 149 sqq. XI. 111 sqq.

[4]) II. 149 sqq. VI. 511 sqq. caet.

[5]) III. 58 sqq. caet.

[6]) XI. 56 sqq.

[7]) II. 126. III. 139 caet.

[8]) II. 31. VI. 59. coll. I. 114 sqq. II. 149 sqq. IV. 36.

[9]) I. 26, 130. IV. 31—33 caet.

Quum Juvenalem per quadraginta fere annorum spatium satiris scribendis operam dedisse jam norimus, nihil est, cur miremur, quod priores satirae iis, quas posteriore tempore conscripsit, magnopere sunt dissimiles. In illis se totum in iram et indignationem effundit [1]); in his omnis oratio, pristina vehementia jam omissa, ut sedatus amnis, lenius fluens, ad res humanas placide perpendendas transiit. Quare ut poëta in illis maxime in vitiis fastidiose depingendis versatur, ita in his contentiones hominum quam inanes vanaeque sint ostendens, ad virtutis praecepta tradenda se potissimum convertit. Eo tamen sibi usque constat, quod quum in declamando totam adolescentiam consumpserit, etiam ad carmina scribenda ex rhetorum scholis oratorium id dicendi genus transtulit, quod in audientium animis acerrime impellendis semper versatur, rebus omnibus quam maxime vel amplificatis vel potius exasperatis, verbis diligentissime ita exquisitis atque contextis, ut audientium plausus et benevolentia captetur. Nec mirum; nam Juvenalem quoque jam novimus, ut mos erat ejus temporis, audientium ingenti coronae satiras recitasse. Quare si orationis vehementiae et copiae magis, quam aptae moderationi, quin etiam quam veritati interdum consuluit, ea (quae tamen vereor ut sit justa satis) afferenda est excusatio, quod insulsis hominum auribus corruptoque judicio indulgere potius quam ea corrigere potuit. Ex hac causa id quoque repetendum est, quod in flagitiis vel turpissimis accurate describendis interdum diutius versatur; nam in his rebus depingendis orationis nervos et ingenii vim aptissime sibi videtur posse ostendere. Neque enim iis [2]) adsentior, qui ex eo ipso colli-

---

[1]) "facit indignatio versum "I. 79.

[2]) Vide ex. gr. Schlosser Uebers. d. Gesch. d. alt. Welt. III. 1. p. 419, 422, Solger Vorles. ueb. d. Aesth.

gunt, Juvenalem neque indolis satis purae neque morum fuisse simplicium. Nam foedissima sane vitia sine ulla verecundia quidem, at certe nunquam sine indignatione et fastidio detegit atque depingit. — Etiam id in Juvenale reprehendendum esse censuerunt, quod obscuriore utitur dicendi genere, dum et homines quos perstringit, non indicat nominatim sed obliqua descriptione significat, et res parum notas quasi in transcursu leviter attingit. Neque tamen dissimulandum est, complures interpretes ea, quae Juvenalis nonnisi universe et generatim dixerit, plerumque sine causa ad certam vel personam vel rem retulisse, id quod cel. Madvigius in doctissima disputatione [3]), quam "De locis aliquot Juvenalis interpretandis" conscripsit, multis argumentis nobis probavit. Neque tamen miremur, quod multa, quae ejus temporis hominibus satis fuerunt dilucida atque perspicua, interjecto tempore jamdudum sunt obscurata. — Illi quod dixi generi id proxime accedit, quod Juvenalis saepissime notissima quaeque verba alicujus clari scriptoris ad aliud quoddam idque maxime ridiculum argumentum detorquet, velut III.

---

[3]) In Opusce. Acadd. (Hauniae 1834, 1842) I. p. 29—63, II. p. 167—205. Non possum facere quin obiter moneam, Juvenalem, quum in sat. IV. luxuriam Crispini reprehenderit, qui sex millibus sestertium emerit mullum ingentem, mox v. 23 (*"multa videmus quae miser et frugi non fecit Apicius"*) dum Apicii frugalitatem cavillanti laude efferat, rem quam Seneca (Epist. 95) memoriae prodidit, satis aperte attingere, id quod nemo quos vidi interpretum attendit. Haec enim Senecae sunt verba: "Mullum ingentis formae (quatuor pondo et ad selibram fuisse ajebant) Tiberius Caesar missum sibi quum in macellum deferri et venire jussisset, Amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit aut P. Octavius. Ultra spem illi conjectura processit. Licitati sunt: vicit Octavius et ingentem consecutus est inter suos gloriam, quum quinque millibus HS emisset piscem, quem Caesar vendiderat, ne Apicius quidem emerat, caet." Nec tamen ignoro illum locum, etiamsi eam quam dixi rem significari non statuamus, per se satis apte posse explicari.

199 (cfr. Virg. Aen. II. 312), V. 138 (l. l. IV. 328) VI. 8 (Cat. 3. 18) caet. [4]).

Juvenalem et suae aetati et proximis saeculis dilectissimum fuisse autorem, quum jam ex Quintiliani verbis (X. 1. 94) suspicari liceat et Ammianus Marcellinus gravissimus sane testis manifesto indicet [5]), tum veteres, quae exstant, vitae illum satiras suas "magna frequentia magnoque successu" recitasse declarant. Et medio quoque quod dicitur aevo in satiris Juvenalis, quem ob sententiarum gravitatem *Ethicum* appellabant, diligenter evolvendis multum operis laborisque consumebatur. Unde id repetendum est, quod largissima exstat copia codicum manuscriptorum, de quorum diversis generibus quum longum sit accuratius disputare, lectores ad ea remittere velim, quae Hermann, Jahn, Ruperti, caet. (vel in prooemiis, quae editionibus adjunxerunt vel in disputationibus variis) probabilibus evicerunt argumentis.

Jam restat, ut de sermone Juvenalis breviter disseramus, et quidem ita, ut plurima quae adnotanda sint (eaque maxime quae ad figuras dicendi pertineant) ad aliud tempus differantur; mox enim ea omnia in brevi commentario, qui cuique satirae subjungendus erit, suo quæque loco tractaturi sumus. Nunc vero perpauca solum leviter attingere sufficiat. — Ille igitur in eo ad sa-

---

[4]) Ejusmodis locis indagandis Heinrich (D. Jun. Juven. Satirae c. comment. C. F. Heinrichii Bonnae 1839) magnam doctrinam et sagacitatem, quae timeo ne interdum nimia fuerit, impendit. Tamen ille ad IX. 129 non satis attendit. Nam mihi quidem videntur illius Naevoli, turpissimi hominis, verba: *dum bibimus*, *dum serta*, *unguenta*, *puellas poscimus*, *obrepit non intellecta senectus* ex gravissimo Catonis dicto (Cic. Cato Maj. XI. 38) esse repetita.

[5]) Quint. l. l.: "Sunt clari (satirici) hodieque, et qui olim nominabuntur", Ammian. Marc. XVIII. 4: "Quidam detestantes ut venena doctrinas, Juvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes."

tiricorum caeterorum dicendi rationem proxime accedit, quod magnificam orationem altioresque poetarum spiritus fugiens, ad prosae orationis consuetudinem propius accedit, id autem ejus maxime proprium est, quod, rejecto tenui et impolitiore quo usi sunt priores sermone, is, ut supra diximus, rhetoricis disciplinis imbutus, oratoriae artis quasi luminibus potissimum orationem distinxit. At quum a pedestris sermonis usu paene nusquam longius recedat, nonnisi perpauca e Juvenale adnotare licet insolentioris orationis exempla, si ea, quae universis argenteae aetatis scriptoribus communia sunt, omiseris.

Deminutiva quae dicuntur quum caeteri ejus aetatis scriptores, vel promiscue pro primitivis [6]), vel ita ut extenuandi vis retineatur, frequentissime usurpant, tum Juvenalis iis, quippe in quibus insit vel fastidiosi quiddam vel ridiculi, satirarum scriptori aptissimis [7]), ita delectatus est, ut quaedam solus omnium, qui ad nos pervenerunt, scriptorum usurpasse videatur [8]). Prisca verba raris-

---

[6]) Tale est *labellum* (Juv. I. 160, III. 185 caet. pro *labro*), *bacillum* (III. 28 pro *baculo*) simil.

[7]) Cfr. I. 10 (*pellicula*), 40 (*unci la*), III. 161. caet. — Et ridiculum illud quod vocabulo *fraterculi* (IV. 98) inest, adjecto genitivo *gigantis* mirum in modum augetur; quo enim addito efficitur verborum quaedam contentio, quam rhetores vocant.

[8]) Verba, quae nonnisi apud Juvenalem reperiuntur, subjungere liceat: acersecomes (VIII. 128), acoenonoetus (? VII. 218), anabathra (VII. 46), ceromatico (III. 68), chironomon (VI. 63, cfr. chironomunta V. 121), curabilis (XVI. 21), epimenia (VII. 120), *flammeolo* (X. 334) *improbulum* (V. 73), *lividulus* (XI. 110), micturiunt (VI. 309, micturiente XVI. 40), niceteria (III. 68), pappas (VI. 633), *petasunculus* (VII. 119) pinnirapi (III. 158), proseucha (III. 296), robum (VIII. 155), *rubicundula* (VI. 425), schoenobates (III. 77), stoicidae (II. 65), trechedipna (III. 67), triscurria (VIII. 190), *unciolam* (I. 40), velaria (IV. 122), viscantur (VI. 466), xerampelinas (VI. 519); quibus addere possis haec, quae certe rarissima sunt, vocabula: stlataria (VII. 154), archimagirus

sime sectatus est nec nisi ad risum aut indignationem movendam, quantum prisca tempora distarent a recentioribus, tali verbo adumbrari poterat (cfr. IV. 29 *induperator*).

De formis nominum monere satis sit, Genitivum vocabulorum secundae declinationis in — *ius* (vel — ium) exeuntium apud Juvenalem, ut apud aureae aetatis scriptores, plerumque una litera *i* terminari (*palati* II. 106. IV. 31. *Cassi* V. 37 cet.); accusativum pluralis tert. declin. in codice Pithoeano (quem Jahn potissimum secutus est) in — *is* saepe exire (*trementis* II. 94. VII. 241. *natis* VI. 612. cet.), Graeca vocabula ut saepissime apud poëtas, ex Graecae linguae consuetudine declinari [9]). Itaque accusativus sing. secundae declinationis in — on plerumque cadit (Pittacon II. 6. Pharon VI. 83. XII. 76, crocodilon XV. 2), tert. vero declin. in — a (thoraca V. 143, cyclada VI. 563, rhetora X. 132); accusativus pluralis 3:ae decl. in — as frequentissime exit (Orcadas II. 161, cyclopas, Laestrygonas XV. 18) [1]). Verum de verbo-

---

(IX. 109), praeputia (VI. 238, XIV. 99), pytismate (XI. 175), attegias (XIV. 196), bracteolam (XIII. 152) caet.

[9]) Vide de his et similibus rebus Köne Ueber die Sprache d. Röm. Epiker (Münster 1840); qui tamen quod epicos Romanorum poëtas propter difficultates heroici versus, Latinae linguae non satis apti, a prosa oratione tantum discessisse statuens, omnia quae poëtici sermonis propria sunt, ad illam normam aestimanda et perpendenda censet, videtur mihi non satis ad satiricos attendisse animum, qui eodem metro, quo epici, obstricti, ad pedestris orationis usum quam proxime accesserunt. Neque tamen negare velim, ea ipsa, quae supra attuli, poëtici generis exempla (*Pittacon*, cet.) ad istam normam fere omnia et posse et debere revocari. Et ejusdem generis id est, quod *dies* IX. 17, X. 265, XIII. 23 poëtarum more ut nomen femininum usurpatur, omnibus aliis locis masculinum.

[1]) Alius fere generis est accus. plur. *Cleanthas* (II. 7); quod enim nomen alias secundum tertiam declinationem flexum, hac forma ad primam esse referendum (cfr. *Thucydidas* Cic. Orat. 9) ex similitudine

rum formis nihil habeo quod adnotem nisi imperativum illum apud poëtas satis frequentem *face* (V. 112) et antiquum infinitivum *defendier* (XV. 157).

Astrictae dicendi brevitatis amator per appositum nomen interdum id exprimit, quod nobis per enuntiationem relativam explicandum est, ut III. 219 Hic Libros dabit et loculos mediamque Minervam (i. e. quae ponatur media); VI. 160 vetus indulget senibus clementia porcis (i. e. qui ita usque ad summam senectutem vivant). Et ubi nos (et interdum Romani) adverbiis utimur, Juvenalis adjectivum aliquod substantivo cuidam subjungit, quo facto non tam verbum quam substantivum accuratius definitur, velut III. 16 (nocturnae Numa constituebat amicae), IV. 108 (matutino sudans Crispinus amomo), VI. 561 (si longo castrorum in carcere mansit), X. 30 (flebat contrarius alter) cet. Et quod monuerunt [2]) e Virgilio praecipue observanda esse adjectiva temporalia *nocturnus* et *matutinus*, id ad Juvenalem quoque pertinet; cfr. enim VI. 117. 523. VIII. 144. 233. XII. 92. — Poetas epicos atque lyricos constat, si genitivum substantivi cujusdam cum altero substantivo artius conjunxerunt, adjectivum quod ad illud proprie referendum erat cum hoc saepissime componere [3]), neque apud Juvenalem talis verborum conformationis desunt exempla, nam cfr. VI. 661 (Pontica ter victi medicamina regis), IV. 82 (Crispi jucunda senectus [4]).

---

talium formarum colligitur, quales sunt: *Aristotelen* (II. 6), *Archigenen* (VI. 236, XIV. 252) sim.

[2]) Vide P. I. Petersson: De Syntaxi Virgiliana (Upsaliae 1853 p. 12).

[3]) Cfr. Petersson l. l.

[4]) I. e. Crispus jucundus senex. Quo loco id amplius monere velim, Juvenalem duo substantiva frequentissime ita conjungere, ut id quod ex vulgari loquendi usu alteri quoddammodo erat adponendum, in casu regenti ponat, alterum vero in casu genitivo positum illi subjiciat, quo

Intransitiva quae vocantur verba notissimum est apud poëtas haud raro, acquisita quadam vi transitiva, cum Accusativo componi. Atque ex Juvenale hoc loco praesertim haec afferenda sunt verba: *vivere* (Bacchanalia II. 3. Nestora totum XII. 128), *stupere* (IV. 119) *tremere* (XI. 90) *suspirare (matrem* XI. 152), *saltare* (Ledam VI. 63), *bacchari* (grande carmen VI. 636), *natare* (VIII. 265), *velificare* (velificatus Athos [5]) *coenare* (I. 95. VIII. 85), *vigilare* (proelia VII. 27 [6]). A quo loquendi usu ea verborum conjunctio distinguenda est, qua verbo intransitivo pro adverbio subjicitur adjectivum, quod ita objecti vices quodammodo tenet, casu accus. neutrius generis positum velut 1. 16, III. 107, VI. 65, XIV. 295 cet. — Graeci illius qui vocatur Accusativi verbis aut adjectivis subjuncti, quo ad quam rem verbum vel adjectivum referendum sit, indicatur, apud poetas valde frequentis, e Juvenale, quippe qui a poetico loquendi usu longius recedat, nonnisi duo exempla afferri possunt, VIII. 4 (humeros minorem Corvinum), VIII. 16 (tenerum adtritus Catinensi pumice lumbum).

Inter verba, quae cum praepositionibus composita sunt, quibusque dativus subjungitur, quod e Juvenale afferatur, dignum est *componere* [7]) (lintea gutto III. 263), at inter simplicia *sejactare* (amicae i. e. adversus amicam s.

---

facto illi majus additur quasi pondus. Cfr. I. 10 furtivae pelliculae aurum, 120 fumus domi, II. 4 gypso Chrysippi, IV. 39. IV. 107. XIII. 185. 214 caet.

[5]) Ubi haud scio an verba Ciceronis de Fin. II. 34, menti poetae sint obversata.

[6]) Alius generis est *descendere* cum Accusativo conjunctum (descendere funem XIV. 266), ubi conferas Livium II. 65 (evadere ardua) Virg. Aen. II. 731 (evasisse viam), Georg. II. 39 (decurre laborem).

[7]) Cfr. Virg. Aen. VIII. 486 componens manibusque manus atque oribus ora.

coram amica I. 62). Ubi genitivum expectaveris, interdum Dativum reperies, ut I. 25. X. 226 (mihi barba sonabat [8]). Et contra pro Dativo invenies Genitivum positum I. 114. XIII. 174.

Ablativus, qui vocatur, loci, quo aut ubi quid sit aut unde quid moveatur, indicare solent, apud Juvenalem admodum rarus est. Posterioris enim generis non facile reperias nisi unum exemplum III. 270; de priore autem genere non dissimulandum est haud ita paucos in Juvenale exstare locos, in quibus ubi quid fiat, nulla praepositione adjuncta, per Ablativum indicatur, cui adpositum est aut adjectivum aut pronomen aut substantivum (ut I. 19 hoc decurrere campo, 65 medio ceras implere capaces quadrivio, 95, 136, 157, II. 41, 120 cet.); sed plane nudus non reperitur ablativus loci nisi V. 138, ubi Juvenalis verba Virgilii ex Aen. IV. 328 transscripsit, et VI. 263. Ubi ad personam agentem indicandam ablativus praepositioni *ab* subjectus ponendus erat, duos ablativos, quos vocant, absolutos haud raro reperias, I. 13 (adsiduo ruptae lectore columnae), II. 13. X. 177. XIV. 21 [1]).

Ut haud raro apud poëtas, ita apud Juvenalem *ait* et *inquit* III. 153. VII. 242. IX. 63. XIV. 153 sic posita sunt, ut non sint ad certam personam referenda [2]).

Perfectum indic. (ad similitudinem aoristi Graeco-

---

[8]) Cfr. Graecum illud (Hom. Il. I. 104) *ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκτην* et sim.

[1]) Cfr. I. 70 (viro miscet sitiente rubetam), ubi pro Dativo duo ablatt. abss. reperiuntur positi. — Inter caetera quae de usu ablativi e Juvenale afferri possunt, id solum monere velim, nudum ablativum XI. 106 esse positum, qui ex more prosae sermonis praepositioni *cum* erat subjungendus (*clypeo venientis* pro: cum clypeo).

[2]) Redde: *sâ heter det.* Cfr. Reis. Vorles. §. 197 not. 344, Törnebladh Satirae A. Persii Flacci (Upsal. 1854) pag. 8.

rum) aliquid non solum saepe factum sed etiam omnibus temporibus fieri solere, apud argenteae aetatis scriptores frequentissime indicat; ad quod genus referre licet X. 7 (Evertere domos totas optantibus ipsis [3]). XIII. 105. Ad quam loquendi consuetudinem paullatim transierant, antea perfecto verbi vocabulum aliquod [4]), cui inerat frequentativa illa quae vocatur, significatio, adjicientes (cfr. IX. 80). Et proxime accedit quod Romani maximeque poëtae, ubi praesens tempus verbi infiniti expectaveris, perfectum saepissime posuerunt, cujus generis exempla, quae adferantur, ea praecipue digna sunt, in quibus perfectum infinitivi cum praes. conjunctum reperitur, velut VI. 564. VIII. 226 (cfr. etiam VI. 456. XI. 53. XIV. 271) [5]).

In sententiis conditionalibus Juvenalis a communi loquendi usu nonnumquam paullum recessit, vel praes. conjunct. pro imperfecto aut plusquamperfecto (cfr. VI. 653, VIII. 211) vel imperfectum pro plusquamperfecto ponens (VII. 69, 70 cfr. II. 74). Unde efficitur ut acrior et agitatior fluat oratio, dum aut id, quod non nisi cum quadam adjunctione enuntiandum est, paene simpliciter effertur, aut res praeteritae tamquam adhuc praesentes legentium mentibus subjiciuntur [6]). Idem evenit, quum, omissa perticula *si*, id quod conjuncte efferendum erat

---

[3]) Ubi quod Madvig, "de formarum quarundam verbi Latini natura et usu" acutissime disputans (Opusc. Acad. II. p. 117), nihil nisi simplicem narrationem rei factae invenit, non cedendum est summi illius viri autoritati.

[4]) Ut *saepe*, *multi*, *plerumque* cet.

[5]) Saepius autem si diligentius attenderis, per perf. inf. rem jam perfectam indicari invenies, ut XV. 100. VII. 225 cet.

[6]) "rerum, quasi gerantur, sub aspectum paene subjectio; quae — plurimum valet et ad illustrandum id quod exponitur et ad amplificandum" Cic. d. Or. III. 53.

simpliciter effertur, velut III. 78 (in coelum, jusseris, ibit), III. 100. VI. 144 sqq. 222. 329 sqq. XIII. 215. 227.

Ut alii poetae, ita Juvenalis et pro gerundio et pro enuntiatione particulis *ut* vel *quod* subjuncta, frequentissime infinitivum usurpat [7]).

Cum conjunctivo hortativo *nec* pro eo quod est *neve* componit XIV. 201, ubi tamen mox *neve* insequitur. Poëtarum more cum *ne* perticula conjungitur imperativus praesentis IX. 130. Quod monuit Petersson (l. l. pag. 50): notanda est formula illa *I nunc*, in qua si alter subsequitur imperativus, saepissime inest quaedam irrisio; id ad Juvenalem quoque pertinet, e quo exempli gratia afferri possunt VI. 306, X. 310, XII. 57. X. 166 (ubi *nunc* omittitur).

Participio futuri activi haud facile quisquam scriptorum Romanurum saepius usus est quam Juvenalis; quod enim non solum ad periphrasticem, quam vocant, conjugationem formandam cum verbo substantivo conjungitur, sed etiam frequentius ad significationem Adjectivi obtinendam proxime accedit (v. X. 8. XIV. 2 sim.), vel pro enuntiatione aut perticulis *si*, *quum*, *quamquam* subjecta (I. 70. IV. 88. 148 VI. 39. 313), aut per conjunctionem *et* sententiae primariae adnectenda (IV. 50. V. 32), aut per *ut* subjungenda (VI. 428. VII. 116. 133. VIII. 130 cfr. XIV. 49) positum reperitur [8]). Id ex eo repe-

---

[7]) Ita igitur infinitivum 1) cum verbis (sustinere XV. 87, indignari V. 64 cet.), 2) cum adjectivis componit — contentus (III. 277), dignus (VI. 50, VIII. 67), saevus (IV. 109, cfr. Hor. Sat. I. 15. 30 opprobria fingere saevus), nescius (XI. 100 cfr. Hor. Od. I. 6. 6. Pelidae cedere nescii) sim.

[8]) Libentur tamen concesserim, neque facile discerni, in quam loquendi formam participium illud quoque loco resolvendum sit, et eo in finiti temporis verbum mutato, ipsum orationis tenorem distrahi atque nervos infringi. — Per id participium duo ablativi absoluti efficiuntur XIV. 59.

tendum est quod Juvenalis, quem astrictam dicendi brevitatem amare jam supra diximus, quam artissimo spatio quamque paucissimis verbis uberrimam sententiarum copiam constringit. Qua causa etiam effectum est, ut nomina verbalia in — tor (et — trix) exeuntia pro participiis vel enuntiationibus relativis ita usurpaverit, ut id quod quis semel fecerit, in propriam et perpetuam ejus notam mutetur (I. 46. 50. 77. sim). Quin etiam ad actionem, quae per tale substantivum indicatur, accuratius definiendam adverbium interdum subjungit (II. 73 populus modo victor, I. 67 signator falso i. e. qui falso signavit). Et ex eodem brevitatis studio frequentissima fluxit verbi omissio, quae nonnunquam talis est, ut quid subtractum sit verbum, ex caeteris vix possit intelligi [9]).

In versibus nitide componendis Juvenalis ut qui in rhetoricis scholis diu versatus, comptum et elegans dicendi genus complexus sit, caeteris, qui in eodem genere laborarunt, facile antecellit. Hiatum tamen, qui vocatur, ut alii satirarum scriptores, ita Juvenalis haud raro admisit (I. 151. 11. 26. III. 70. V. 158. VI. 274. X. 281. XII. 32. 36. XIV. 49. XV. 126), caesura debili nonnunquam usus est (VI. 450. VII. 52. VIII. 267), pro longa syllaba brevem posuit X. 11. XII. 54 (recidit [1]), et contra longam pro brevi III. 76. (geometres). III. 232 (vigilando), VII. 15 (Bithyni, ubi conferas X. 162. XV. 1.), XII. 71 (Lavino [2]), XIV 19 (ficedulas, cfr. Mart. 13. 5.) XV. 124

---

[9]) Frequentissime quidem verbum *esse* omittitur, at vide I. 89. IV. 23, 25, V. 25. XII. 62 cact.

[1]) Quibus addere possis tantum non omnes versus, supra ubi de hiatu dictum est allatos, quippe in quibus vocalis per se longa, quanquam altera insequitur vocalis, neque elidatur neque corripiatur.

[2]) Cujus vocabuli primam syllabam apud Virgilium (si I. 262. VI. 84 exceperis) et Ovidium semper longam esse reperies.

(Britones [3]). Syncopes, quae vocatur, insolentioris exemplum reperimus III. 263 (strigilibus, quod legas: striglibus [4]). Spondaicis versibus forsitan nemo poetarum Romanorum saepius quam Juvenalis usus est, qui in eo hoc maxime studuit, ut illud verbum, quod in quinto pede positum esset, gravius enunciaretur. Et quum id ipsum ut alicui vocabulo gravius quoddam quasi pondus adderetur, etiam ita posset effici, ut illud poneretur in primo versu, eam quoque rationem saepissime iniit [5]). Quod in extremo versu monosyllabum verbum collocavit [6]), nonnumquam quidem idem sectatus est, plerumque autem eam tamquam ansam ad reprehendendum dedit, quod temere contextum versus quodammodo dissolvit. Denique non semper satis elaboravit, ne versus similiter desinerent (cfr. X. 359 sqq.)

---

[3]) Ubi tamen Hermann "numero et sermoni consulens" *Bistones* legit.

[4]) At Ruperti: "putant esse proceleusmaticum et quatuor syllabas breves respondere duabus longis."

[5]) Vide quae Haeckermann ad I. 8—11 adnotavit (Des D. Jun. Juvenalis Satiren. Lateinisch und Deutsch. I. Greifsvald 1847).

[6]) In prima satira quaterdecies, in secunda undecies caet. et altero monosyllabo plerumque antecedente. Nec dissimulandum est etiam apud Horatium et Persium ita compositos complures versus exstare.

D. Junii Juvenalis.

Satirae XVI.

Satira I.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Cordi?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumpserit ingens
5 Telephus aut summi plena jam margine libri
Scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
10 Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum
Pelliculae, quantas jaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant
Semper et adsiduo ruptae lectore columnae;
Exspectes eadem a summo minimoque poeta.
15 Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos
Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
Dormiret; stulta est clementia, quum tot ubique
Vatibus occurras, periturae parcere chartae.

Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
20 Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
Si vacat ac placidi rationem admittitis, edam.

Quum tener uxorem ducat spado, Maevia Tuscum
Figat aprum et nuda teneat venabula mamma,
Patricios omnes opibus quum provocet unus,
25 Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat;

Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,

Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,

Första Satiren.

Är jag då dömd att höra alltjemnt? Skall aldrig jag hämnas,
Plågad så mången gång af den hese Cordi Theseis?
Strafflöst skulle då *en* läsa upp för mig komedier.
Sorgequäden en ann? och strafflöst skulle ofantlig
Telephus spilla min dag? och Orestes skrifven, då bokens 5
Yttersta rand är full, på ryggen och ändå ej slutad? —
Ingen känner sitt hem som jag den lund, som är helgad
Mars, och Vulcans vid Aeoliska klipporna liggande håla,
Vindarnes råd, de skuggors qual, dem Aeacus dömmer,
Stället, derfrån en annan person sig hemtar en stulen 10
Skinnfälls guld, hur väldiga spjut en Monychus slungar,
Derom ju Frontos lund och de skakade väggarne ljuda
Ständigt och pelarne se'n, af den trägna läsningen bräckta;
Så utaf stor som af liten poet du vänte detsamma.
Äfven *jag* har ju dragit min hand ur vägen för ferlan; 15
Äfven jag gaf Sulla det råd att såsom privatman —
Ta sig en lur. Då nu öfverallt man stöter på skalder,
Vore det dumt att spara, hvad dock skall förödas, vårt papper.
Men hvarföre mig helst på det fältet lyster att löpa,
Hvarest Auruncas son, den herrlige, styrde sitt anspann, 20
Skall jag ifall man har tid och beskedligt vill höra, förkunna.

När omanlig eunuch sig gifter — och Maevia fäller
Tuskiska galtar och, bar om barmen, svänger sitt jagtspjut,
När med patriciers hop i förmögenhet täflar en enda,
Under hvars knif mitt skägg med rasslande föll, då jag 25 ung var,
När utaf Nilens pack ett stycke, en träl från Canopus,
En Crispinus, med skuldran för varm i den Tyriska manteln,
Luftar sitt sommarguld för att svalka de svettiga fingrar,

Nec sufferre queat majoris pondera gemmae;
30 Difficile est satiram non scribere. Nam quis iniquae
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,

Causidici nova quum veniat lectica Mathonis,
Plena ipso; post hunc magni delator amici
Et cito rapturus de nobilitate comesa,
35 Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus et a trepido Thymele summissa Latino;

Quum te summoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in coelum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulae vesica beatae!
40 Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem,
Partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sane mercedem sanguinis et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,

Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram!

45 Quid referam, quanta siccum jecur ardeat ira,
Quum populum gregibus comitum premit hic spoliator
Pupilli prostantis, et hic damnatus inani

Judicio — quid enim salvis infamia nummis! —

Exsul ab octava Marius bibit et fruitur dis
50 Iratis; at tu, victrix provincia, ploras!

Haec ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem? sed quid magis? Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi
Et mare percussum puero fabrumque volantem,

Samt ej förmår att bära en tyngd af större juveler —
Då är det svårt att ej skrifva satirer! Ty hvem är mot 30
vettlös
Stad så tålig, så skapad af jern, att han hejdar sig, när han
Ser sakföraren Matho som far i sin nya portschäs och
Ensam breder sig ut — och bakom honom en mäktig
Väns angifvare se'n, som från sköflad adel skall roffa,
Hvad som är qvar, utaf Massa skydd, af Carus med skänker 35
Smekt — och af Thymele ock, som skrämd Latinus har
utsändt;
När du skuffas ur vägen af dem, som om natten förvärfva
Testamenten och gå till lyckans höjd på den bästa
Wägen till fortkomst nu, de förmögna gummornas älskog!
En part tar Proculejus emot, men Gillo de elfva, 40
Ärfvande hvar och en sitt, i mån af krafternas storlek.
Må han då taga emot sitt blods betalning och så han
Blekne, som den, som med blottad häl har trampat en
huggorm,
Eller en rhetor, som skall i Lugdunum vid altaret tala!

Skall jag väl säga, hur het af harm den lågar, min lefver, 45
När med sitt följes mängd *den* tränger folket ur vägen,
Hvilken sin fallna pupill har plundrat — när dömd med
en magtlös
Dom — ty, om blott man pengarne frälst, hvad betyder
väl skammen! —
Biltog Marius dricker från tu och finner sig väl vid
Gudarnas vrede, men du, provins som segrade, — gråter! 50

Skall jag ej tro att det här Venusinarns lampa är värdigt?
Icke behandla det sjelf? Hvad snarare? Kanske Heracles-
Samt Diomedes-qväden, och vrål, som fyllt Labyrinthen,
Gossen, som plumpsade ned i sjön, och den flygande
verksmed,

55 Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus et caret omni
60 Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon; nam lora tenebat
Ipse, lacernatae quum se jactaret amicae?

Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio, quum jam sexta cervice feratur,
65 Hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra
Et multum referens de Maecenate supino,
Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quae molle Calenum
70 Porrectura viro miscet sitiente rubetam,
Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam et populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquid; probitas laudatur et alget;
75 Criminibus debent hortos, praetoria, mensas,

Argentum vetus et stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avarae,
Quem sponsae turpes et praetextatus adulter?

Si natura negat, facit indignatio versum,
80 Qualemcunque potest, quales ego vel Cluvienus.

Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus aequor,
Navigio montem ascendit sortesque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,

När nu en hanrey får hvad förföraren eger (men hustrun 55
Ej har rätt till att taga) och lärt att titta i taket,
Äfven lärt vid sitt glas högt snarka med vakande näsa;
När ett cohortbefäl *den* tror sig ha rätt till att hoppas
Hvilken på hästar förstört sitt goda, och allt som han ärfde
Skingrat, i det han körde framåt Flaminiska vägen 60
Ilande vagnen, en ny Automedon; ty sina tömmar
Förde han sjelf, då han gjorde sig till för väninnan i mansdrägt?
Får man ej lust till att midt på ett gatsked rymliga plånen
Fylla, då redan på tre par nackar buren der nalkas,
Synlig från alla håll i den nästan öppna portschäsen, 65
Samt påminnande starkt om Maecenas makliga hållning,
Testamentsförfalskarn, som gjort sig förnäm och förmögen
Genom ett skrifvet blad och en påtryckt fuktad sigillring?
Här dig möter en dame, som blandar i milda Calenern,
Hvilken sin törstande man hon skall räcka, gift utaf grodor 70
Samt okunniga fränkorna lär — en bättre Locusta —
Midt under folkets prat de svartnade männen begrafva.
Något du våge, som kan till förvisning och fängelse leda,
Om du något vill bli; rättrådighet prisas — och fryser;
Brott har man nu att tacka för park och palatser och 75 praktbord,
Gammalt silfver och bock som reser sig ut ifrån bägarn.
Hvem får i ro för snål svärdotters förförare sofva
Hvem för de skändliga brudar och hvem för amanger i gossdrägt?
Om naturen ej vill, så gör dock förtrytelsen verser
Så pass goda den kan — som jag — eller som Cluvienus. 80

Allt från den tid då Deucalion steg, när hafvet af störtregn
Svällde, berget uppför på sitt skepp och spörjde oraklet,
Samt utaf lif alltmer de mjuknande klipporna värmdes

Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
58 Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,

Gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.

Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiae patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur

90 Ad casum tabulae, posita sed luditur arca.
Praelia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! simplexne furor sestertia centum
Perdere et horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas, quis fercula septem
95 Secreto coenavit avus? nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae;
Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat, ne
Suppositus venias ac falso nomine poscas.

Agnitus accipies; jubet a praecone vocari

100 Ipsos Trojugenas (nam vexant limen et ipsi
Nobiscum): Da praetori, da deinde tribuno!

Sed libertinus prior est: Prior, inquit, ego adsum,
Cur timeam dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
105 Arguerint, licet ipse negem? sed quinque tabernae
Quadringenta parant; quid confert purpura major
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves, ego possideo plus

Pallante et Licinis? — Exspectent ergo tribuni,

Och de blottade mör framställdes af Pyrrha för männen,
Blef hvar mensklig affekt — harm, fruktan och önskan 85
och njutning
Glädje och brådskande spring — min boks mångartade
ämne.
När var ock lasternas hop så stor? När bredde så vida
Girighet ut sin barm? Och tärningspelet när var det
Modigt som nu? ty man går nu ej mer med börsen till
brädets
Blinda hazard, utan sätter nu fram oeh spelar om kistan. 90
Hvilka strider man der får se, vid hvilka kassörn är
Vapensven! är det blott raseri att kunna förspilla
Hundradetusen och vägra en rock åt den skälfvande slafven?
Hvem har så många villor rest upp, hvem spisade afskildt
Rätter sju i de gamles tid? Nu sättes på första 95
Tröskelen sporteln helt knapp, att roffas af hopen i toga;
Han dock beser ansigtena först och rädes, att någon
Understucken skall komma dertill och begära på falskt
namn.
Känns du igen, skall du få. Han befaller upproparn
att kalla
Äfven Trojaner-ättlingar fram — ty tröskeln de äfven 100
Storma med oss —: "Gif praetorn först, gif sedan tri-
bunen!"
En frigifven är först likväl; "Först kom jag," han säger,
"Hvi då frukta och tveka min plats att försvara, om än vid
Euphrat född — hvad de qvinliga fönstren i örat ju vittna,
Om jag ock sjelf ville neka dertill. "Fem Bodarne" bringa 105
Fyrahundradetusen. Hvad önskvärdt lemnar det större
Purpurbrämet, då sjelf med lejda får på Laurentisk
Mark en Corvinus går vall, men *jag* förvärfvat mig
mer än
Pallas och Licinus egt?" — Tribunerna alltså må vänta,

110 Vincant Divitiae, sacro ne cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis;
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas; etsi, funesta Pecunia, templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
115 Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus,
Quaeque salutato crepitat Concordia nido.

Sed quum summus honor finito computat anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat;

Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est
120 Et panis fumusque domi? Densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida vel praegnans et circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota jam callidus arte,

Ostendens vacuam et clausam pro conjuge sellam,

125 Galla mea est, inquit, citius dimitte; moraris?

Profer Galla caput! Noli vexare, quiescit.

Ipso dies pulchro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum jurisque peritus Apollo
Atque triumphales, inter quas ausus habere
130 Nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches,
Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes
Votaque deponunt, quamquam longissima coenae

Rikdomen segre, och vike ej för den helgade rangen 110
Den som helt nyss kom hit till staden med kritade fötter;
Eftersom här ibland oss mest helig rikdomens höghet
Hålles, ehuru ännu, osaliga penning, i tempel
Icke du bor, och åt mynt vi ännu ej altaren upprest
Såsom vi dyrka Trohet och Fred och Segren och Dygden 115
Samt Endrägten, som snattrar till svar, då man helsar
dess näste.

Men då män af den högsta rang beräkna vid årets
Slut, hvad sportelen ger, hur mycket den lägger till
summan,
Säg, hvad göra väl då de clienter, som toga och skodon
Bröd och ett rökigt logis af sportlerna vänta. De hundra 120
Ören söker en rad portschäser och hustrun med mannen
Följer, om ock i grossess eller sjuk, och släpas kring staden.
Denne begär åt sin, som är hemma — man känner det
knepet —
Wisande stängda portschäsen — men tom — i stället för
hustrun;
Säger: "Min Galla det är; låt oss gå! qvarhåller du 125
längre!"
"Stick ut hufvudet, Galla!" — "Låt bli att störa; hon
sofver!"

Dagen sjelf fördelar sig skönt, som affärerna fordra:
Sporteln först, så till forum och till lagfaren Apollo,
Samt till triumphstatyerna der, bland hvilka en inskrift
Någon Aegyptisk Arab-guvernör sig vågat förskaffa, 130
Invid hvars bild man fritt gör både det ena och andra. —
Ur försalarne gå de gamla och trötta clienter,
Läggande ned sin förhoppning, som dock, när det gäller
en måltid,

Spes homini; caulis miseris atque ignis emendus.
135 Optima silvarum interea pelagique vorabit
Rex horum vacuisque toris tantum ipse jacebit;
Nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.
Nullus jam parasitus erit. Sed quis ferat istas
140 Luxuriae sordes? quanta est gula, quae sibi totos

Ponit apros, animal propter convivia natum!
Poena tamen praesens, quum tu deponis amictus
Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes et intestata senectus;
145 Et nova nec tristis per cunctas fabula coenas
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas; eadem facient cupientque minores.

Omne in praecipiti vitium stetit; utere velis,

150 Totos pande sinus! Dicas hic forsitan: Unde
Ingenium par materiae? unde illa priorum
Scribendi quodcunque animo flagrante liberet
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert, dictis ignoscat Mucius an non?
155 Pone Tigellinum; taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo pectore fumant,
Et latum media sulcum deducis arena. —

Qui dedit ergo tribus patruis aconita vehatur
Pensilibus plumis atque illinc despiciet nos? —

Håller sig längst; — kål måste och ved de arma sig köpa.
Under tiden från skog och från haf det yppersta sväljer 135
Deras despot och på rymlig bädd han ligger allena.
Ty från så många fat, så sköna och rymliga samt så
Gamla sitt ärfda gods i ett enda mål de förtära.
Snart det ej finnes en snyltgäst mer. Hvem tål väl en sådan
Knusslande lyx? Hur stort är det svalg som sätter 140
framför sig
Vildsvin hela, ett djur för samqvämsfröjderna skapadt!
Straffet är dock tillhands, då du tager kläderna af dig,
Däst utaf maten, och bär osmält påfågel i badet.
Följden blir ond brådöd och testamentet — ej skrifvet;
Och till ett prat, af ej sorglig art, kring samtliga bordslag, 145
Din begrafning begås med de vredgade vännernas bifall.

Intet skall komma härtill, som efterverlden till våra
Seder kan lägga; detsamma som vi skall den göra och
önska.
Hvar och en last har ställt sig på spets; så bruka då
seglen,
Bred då dukarne ut! Törhända man frågar: "Hvar får du 150
Snille med ämnet i bredd? hvar får du denna de gamles
Rättframhet att skrifva hvad helst dem täcktes då sinnet
Lågade upp — som jag ej vid namn ens vågar att nämna?
Tillger Mucius orden, du sagt, eller icke — hvad gör det?
Ställ Tigellinus fram — som en fackla du kommer att lysa, 155
Lika med dem man ställer som ljus vid en påle att brännas,
Och du skall sprida en bred ljusstrimma midt på are-
nan." —
"Alltså skulle då den, som tre farbröder förgifvit
Bäras på svällande dun och se ned på oss andra för-
aktligt." —

160 Quum veniet contra, digito compesce labellum;

Accusator erit, qui verbum dixerit: hic est.
Securus licet Aenean Rutulumque ferocem
Committas, nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus;
165 Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa:

Inde irae et lacrimae. Tecum prius ergo voluta
Haec animo ante tubas; galeatum sero duelli
170 Poenitet. — Experiar, quid concedatur in illos,

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

"Kommer han mot dig, så tryck med fingret läpparna 160
samman;
Säger du blott: det är han, angifvare är du på stunden.
Sorglös kan du till kamp Aeneas och trotsig Rutuler
Föra ihop; för ingen till men är den slagne Achilles
Eller, så mycket sökt, den sin kruka följande Hylas;
Men så ofta som full utaf eld och liksom med blottadt 165
Svärd Lucilius gnyr, åhörarn, med hjertat af brotten
Isadt och kallt, för sin hemliga skuld dock rodnar och
svettas.
Deraf tårar och harm. Så begrunda då detta i sinnet,
Innan trumpeten har gifvit signal. Behjelmad du ångrar
Striden för sent." — "Försöka jag vill, hvad mot *dem* 170
man kan våga,
Hvilkas aska är lagd vid Latinska, Flaminiska vägen.

Adnotationes [1]).

V. 1—6. Recitationibus poetarum adsiduis jamdudum defatigatus (cfr. III. 9. *Augusto recitantes mense poetae)* proponit sibi, ut et ipse carmina scribens recitansque par pari referret. Et eam quam diu continuit iram in objurgationes effundit, quod ejus temporis poetae in fabulis contritis et quidem molestissime tractandis versarentur. Cfr. Plin. Ep. I. 13. 6. Horat. A. P. 474 sq. [2]) *rauci Theseide Cordi,* qui carmina tantae amplitudinis conficiebat, ut ea recitans raucus fieret. — *Cordi* Jahn et Hermann cum antiquiss. cod. Pithoeano; at quum III. 203. 208 *Codro (Codrus)* legendum sit, et scholiasta poëtam, qui illic irridetur, eundem h. l. exagitari statuat [3]), haud scio an *Codri,* quod plurimi ediderunt, retinendum sit, dummodo Juvenalem ad universum malorum poetarum genus denotandum nomen obscuri cnjusdam versificatoris a Virgilio (Ecl. V. 11. VII. 22) mutuatum esse

---

[1]) Si quis primae satirae argumentum in brevissimam formam redactum desideraverit, ad Hermannum lectores remittere satis erit, qui verbis quam paucissimis, quid sibi velit haec satira, apte explicavit. Cujus igitur verba subjungere mihi liceat: "satira prima ipsum satirarum scribendarum consilium, postquam eodem cum reliquis poesis generibus jure uti lepide evicit (v. 1—18) duabus maxime causis defendit: primum quia in tanta vitiorum atrocitate indignatio aegre contineatur (v. 29—80), deinde quia nullum scribendi genus nunc ampliorem materiam inveniat (v. 81—150); postremo velut interpellante prudentia callidae cautionis temperamentum pollicetur (v. 151—171)."

[2]) Ad *reponam* Heinrich conferri jubet Horatianum illud: non ego nobilium scriptorum auditor et ultor (Ep. I. 19. 39).

[3]) Adjicit enim (ad III. 203) "pauper poeta cujus et supra meminit.

concedamus. Cordum vero, qui in talibus rebus versatus sit, omnino non cognovimus nisi eum quem sub nomine Iarbitae ab Horatio Ep. I. 19. 15 perstrictum esse scholiasta testatur [4]). — *Telephus* — *Orestes*, tragoediae ingentis amplitudinis; haec enim non solum in "margine libri" sed etiam — praeter veterum consuetudinem, cfr. Beckeri Gallum I. 168 — aversa charta conscripta erat. — *et in tergo*, *et* pro eo quod est *etiam* apud illius aetatis scriptores frequentissime usurpatur, nam vide infra 15, 57, 100, cet [5]).

7—14. Trita omnibusque nota quae sibi poëtae proponebant argumenta inspiciuntur; et maxime quidem ea, quae Valerius Flaccus clarus Argonauticorum scriptor tractaverit, h. l. menti Juvenalis obversari, Heinrichius, Janum Parrhasium sequens, ostendit. — *Lucus Martis*, in quo aurea illa pellis, quem Jason sibi acquisivit, suspensa erat. Cfr. Val. Flacc. V. 228, 250 cet. — *Aeoliis vicinum rupibus antrum Vulcani*, Hiera (hodie *Volcano)*, insula e cujus vertice ignis erumpit, unde factum est, ut Vulcani crederetur esse domicilium; inter Liparaeas (Aeolias) insulas, ubi Aeolum habitare fabula erat, maxime notabilis. Virgilius (VIII. 416, 422): "Insula Sicanium juxta latus Aeoliamque erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis — Vulcani domus et Vulcania nomine tellus." Val. Flacc. I. 579 [6] — *quid agant venti*, quippe qui apud Flaccum I. 597 consultantes inducantur. — *quas torqueat um-*

---

[4]) "Hic Jarbita Maurus regione fuit Cordus (al. lect. Codrus), qui dum Timagenem post convivium et inter pocula declamantem vellet imitari nec posset, invidia quodammodo ruptus est."

[5]) Quod Schultz (Latein. Sprachlehre, vierte Ausg. Paderb. 1857 pag. 217) *et* quum talis insit significatio, potissimum cum aliquo pronomine conjunctum reperiri docet, id ad Juvenalem non pertinet; nam vide III. 144, 305, IV. 34, 47, 81, V. 171. VI. 15 cet.

[6]) Cfr. J. P. Knight apud Goethe (Sämmtl. Werke 30 p. 98, 99).

bras Aeacus — qui irridetur in carnificem quodammodo mutatus. — *unde alius furtivae devehat aurum pelliculae.* Ex his versibus jam apertissime colligere licet Juvenalem in Flacci Argonautica invehi. Idque ita agit, ut Jason, qui in eo carmine primas quasi partes sustinet, fastidiose nonnisi verbo *alius* notetur (cfr. VI. 153), atque aurea illa pellis, propter quam ille tanta subiit incommoda, *pellicula* contemtim appelletur, cui vocabulo quae inest deminutiva significatio, eo etiam magis acuitur et augetur quod id positum est in primo versu. — *pelliculae aurum*, vide prooem. pag. 21. — *Monychus*, Centaurus quidam, cujus Flaccus I. 146 mentionem fecit. — *Frontonis platani*, nemus in quo domus magnifica, ubi recitabant poetae, exstructa erat. Qui Fronto id nemus possederit nescimus, nisi fortasse idem fuit, cujus gloriam domi militiaeque partam Martialis I. 56 [7]) praedicat. Certe hic Fronto a M. Cornelio Frontone, rhetore clarissimo, quem sub Antoninis demum floruisse constat, omnino est distinguendus. Aedes vero divites ejus temporis homines poetis ad recitationes commodare esse solitos, jam ex VII. 40 cognitum habemus. — *Expectes* — *poëta.* Quae ad Flacci argumenta tamquam trita molestaque exprobranda attulit, jam ita levat et excusat, ut eadem omnia a summis minimisque poetis promiscue tractari concedat.

15—21. *Et nos ergo* caet. Quod Heinrich et Haeckermann [8]) *ergo* h. l non "conclusivam" sed "confirmativam" vim habere contendunt, idque V. 97. 158, XI. 17 adferentes sibi videntur comprobare, omnino non iis adsentior. Nam neque illis locis quin particulae *ergo* ea insit vis, qua proximis, ut conclusio, enuntiatio aliqua ad-

---

[7]) "clarum militiae, Fronto, togaeque decus."

[8]) Heinrich interpretatur: Ich habe doch wirklich auch, Haeckermann: in der That, wirklich.

nectatur, dubitandum est, et hoc loco quomodo sit *ergo* explicandum, satis apertum. Sic enim interpretor: Non ergo (i. e. quum nonnisi fabulas omnibus jam notas, longo usu tritas poëtae omnes afferant) recusabo, quominus etiam me ad carmina scribenda satis eruditum esse profitear. — *manum ferulae subduximus;* aptissime Heinrich illud Horatianum (A. P. 415) comparat: Qui Pythia cantat tibicen didicit prius extimuitque magistrum. — *consilium dedimus Sullae* cet., thema rhetoricum, in scholis saepe tractatum, cujus id erat argumentum, ut dissereretur, quid post quietem in republica restitutam Sullae esset agendum. — *dormiret* i. e. "reliquum vitae tempus in otio transigeret", Ruperti. Verbum *dormire* omnia in risum vertit. — *tot ubique;* saepissime apud Juvenalem ad res amplificandas tali modo conjunguntur vocabula, quibus paene una eademque vis inest, ut III. 303 (omnis ubique) VIII. 104 (multus ubique), III. 184, V. 129. VI. 182. XV. 82 (usque adeo), III. 274 (adeo tot). — *Vatibus.* Gravissimum clarissimumque vatis nomen levibus obscurisque ejus aetatis versificatoribus ita imponit, ut quam sint bonae indolis expertes, auditor facile moneatur. Cfr. IV. 29 (induperator) et vide quae de vero vate Juvenalis VII. 53 sqq. praeclarissime dixerit. — *Auruncae alumnus,* C. Lucilius, Suessae Auruncae natus, qui Horatio (Sat. I. 4 cet.), Persio (I. 114), Juvenali ad satiras scribendas praestantissimus autor erat atque exemplum.

22—30. *Quum tener uxorem ducat spado.* Miror quod Heinrich dum hunc locum explicare vult, id quod est *nubere,* cum eo, quod est *uxorem ducere,* confundit. De caeteris quae ille attulit vide W. E. Weberum in N. Jahrbb. f. Philol. u. Paedag. XXXII p. 166. — *Maevia Tuscum figat aprum* caet. Quod Heinrich Maeviam Gallam, uxorem L. Munatii Planci, propter voluptates libidi-

nosas infamem, h. l. castigari, multis verbis sibi videtur probasse, vereor ne sine causa laboraverit. Nam Rupertio potius adsentiendum est, qui Maeviae nomen ad quamcunque impudicam mulierem designandam fictum (θετικόν vocant) esse dicat. De mulieribus cum bestiis in arena pugnantibus, vide ea quae W. E. Weber ad vers. German. adjunxit — *nuda mamma,* Amazonum more exserta, ut Penthesilea Virg. Aen. I. 492, Camilla ibd. XI. 649 — *patricios — sonabat.* Hunc tonsorem putant esse Cinnamum illum, quem Martialis VI. 17. VII. 64 irriserit, at is jam eo tempore, quo Martialis VII. 64 scripsit, ob aes alienum ex Urbe in Siciliam confugerat. Versus 25 iisdem verbis iteratur X. 226, cfr. XIII. 137, XVI. 41; X. 365, 366, XIV. 315, 316. — *Quum pars* cet. Pars Niliacae plebis Crispinus eodem modo contemtim dicitur quo ignobiles et novi homines VIII. 44. "humiles — vulgi pars ultima nostri." Ille Aegyptius, qui antea in publico pisces vendendos clamitaverat (cfr. IV. 32), mox Domitiano imperatori carissimus, princeps equitum factus, deliciis et luxuria diffluebat. Cfr. Mart. VIII. 48. — *Tyrias humero revocante lacernas,* Inepte mollis Crispinus Tyriam (i. e. purpuream [9]) lacernam nunc de humeris delabi sinit, nunc delapsam ipsius humeri motu attrahit (revocat), ut et elegantiam deliciosam ostentet et, quos gestat, aureos annulos eo facilius conspiciendos praebeat — *aestivum aurum.* Aestivo tempore homo ille delicatus leviores annulos gestabat. Sic enim hunc locum esse explicandum, persuasit nobis Madvigius, sublato errore Pinzgeri (quem secutus est Haeckermann) *aestivum* tamquam adverbium ad verbum *sudantibus* referentis (Opusc, Acad. I. 56).

---

[9]) Cfr. "purpureus scurra palati" IV. 31.

30—36. Poëta se in quadrivio stare fingit, ubi multa oculis subjiciantur, quae vel irrisione vel ira castigentur, dignissima. — *Mathonis* causidici cujusdam obscuri (XI. 34), qui grave sibi contraxit aes alienum, dum ut hominum oculis in se conversis ad quam plurimas causas agendas advocetur, splendidum cultum praetendit (VII. 129). In publicum igitur nova recentique lectica provehitur, in qua quo mollior delicatiorque habeatur, extenditur quam latissime (lectica Mathonis plena ipso). — *magni delator amici.* Maxime verisimile judicaverim, Juvenalem his versibus (ut saepissime) non certam personam designare sed ad universum istorum hominum genus denotandum fingere sibi delatorem, in quo crudelitas et perfidia ita in unum coaluerint, ut foedissimi quoque, quos ea aetas tulit, delatores eum timerent et variis modis mitigare conarentur. Nam Latinus, mimus eo tempore clarus, quin inter delatores numerandus sit, non dubitabimus, quod affirmat Scholiasta (ad IV. 53) [1]), comprobat Martialis (I. 15. IX. 29), qui Latinum apud Domitianum, quem delatores maxime fovisse constat, gratia et caritate multum valuisse testis est, quin etiam Suetonius (Domit. 15) indicat, e cujus verbis [2]) colligere licet Latinum Domitiano "diei fabulas referre" esse solitum. Ille igitur, ipse delator metuendus, pejorem reformidans, Thymelen mimam celebrem (VI. 66. VIII. 197) ad eum molliendum summittit. — De Baebio Massa et Mettio Caro vide Martial. Plin. Epist. pass.

37—44. Vilissimi illi homines, qui in hereditatibus

---

[1]) "cum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum hi, Armillatus, Demosthenes, et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scribit."

[2]) "— idque ei coenanti a mimo Latino, qui praeteriens forte animadverterat, inter caeteras diei fabulas referretur."

captandis versabantur; quum multis locis a satiricis Romanorum poetis (Juv. XII. III. 126 sqq. IV. 18 sq. V. 98 sq. cet. Horat. Sat. II. 5 cet.) vel irrisione vel ira castigati sunt, tum hic ii maxime irridentur, qui ad hereditatem accipiendam divitum vetularum libidini serviebant. — *Noctibus* quod in primo versu positum est confer 11. 17 cet. — *in coelum* pro: ad opes et divitias. — *unciolam* et deminutivum et ἅπαξ εἰρημένον, quod Graeci vocant; confer prooem. pag. 19 et verte: en ömklig tolftedel. — v. 48 imitando effingit Hom. Il. III. 33 sq. Virg. Aen. II. 37 sq. — *Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.* Nam Lugduni, ubi ara Augusto Caesari esset dedicata (Claud. 2), Caligulam singulare eloquentiae quoddam certamen edidisse, testatur Suetonius (Calig. 20), cujus haec sunt verba: Edidit — in Gallia Lugduni miscellos; sed et certamen Graecae et Latinae facundiae, quo certamine ferunt victoribus praemia victos contulisse, eorundem et laudes componere coactos; eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent.

45—50. *jecur*, quippe quod affectuum maximeque irae sedem locumque esse veteres opinarentur; VI. 648 (rabie jecur incendente), Hor. Od. I. 13. 4 (fervens difficili bile tumet jecur). — *premit.* Quod Heinrich ut congruentes aequalesque sint orationis partes, quum antecedat conjunctivus *ducat* (v. 22) *figat* (v. 23) caet., h. l. *premat* legendum esse statuit; neque talem orationis partium convenientiam Juvenalis adsectatur et particulae *quum* priore quidem loco enuntiatio causalis quae dicitur subjecta est. at hic certe temporalis; nam verte: så ofta som cet. — *spoliator*, cfr prooem. pag. 26 — *prostantis*, cfr. III. 65 IX. 24 — *et hic damnatus inani* cet. quibusdam videntur,

cum proxime antecedentibus ita parum cohaerere, ut hos versus ab ipso Juvenale satirae jam perfectae insertos esse judicaverint (cfr. W. E. Weberum ad vers. German.) At mentione de homine quodam improbo facta, qui pupillum spoliatum ad summam inopiam redegerit, facile poeta monetur, ut in alium virum nequissimum, cujus rapacitas tunc temporis erat in omnium ore, invehatur. Nam iis ipsis temporibus (a. 100 p. C.) Marius Priscus, qui in Africa proconsul fuerat, a provincialibus, quibus aderant Cornelius Tacitus et C. Plinius Caecilius Secundus, accusatus quod in imperio omnia violenter et cupide egisset, quin etiam "ob innocentes condemnandos, interficiendos quoque, pecunias accepisset", expulsus quidem est Italia, argento, quod acceperat, in aerarium illato; at magnam tamen pecuniae, quam de provincia extorserit, eum retinuisse partem, jam ex hoc loco colligitur. Vide VIII. 120, Plin. Ep. II. 11. W. E. Weber ad vers. German. et in N. Jahrb. XXXII p. 166. — *ab octava* cet. In exsilium pulsus Marius, omnibus curis solutus, immoderatae luxuriae se totum addixit; nam gurgitis et heluonis erat jam octava hora coenare. Martialis IV. 8. 6:" sufficit in nonam nitidis octava palaestris, imperat extructos frangere nona toros."

51—62. *Venusina lucerna* "i. e. satira qualem Horatius scripsit," quem Venusiae natum esse constat (Ruperti). Comparat Heinrich Horat. Ep. II. 1. 112: prius orto sole vigil calamum et chartas et scrinia posco. — *Heracleas aut Diomedeas aut mugitum Labyrinthi*, i. e. Epica de Hercule, Diomede, Theseo carmina; — nam verbis illis *mugitum Labyrinthi* Thesei res gestae ita cum fastidio quodam et irrisione designantur, quemadmodum sequentibus *mare percussum puero fabrumque volantem* Icarus atque Daedalus. — *Quum leno* (i. e. h. l. maritus)

— *si capiendi jus nullum uxori.* Ad hunc locum per se non satis apertum explicandum haud scio an Heinrich [3]) meliora attulerit quam caeteri. Rupertio certe non adsentiendum esse persuaserunt mihi Heinrich et W. E. Weber. Cfr. Juv. IX. 70—90. — *sperare.* Quod Heinrich ex duobus codd. *spectare* recipiendum esse statuit, id per librariorum incuriam ex versu 56 in hunc mihi videtur emanasse. — *Quum fas esse putet — amicae.* Quae interpretes tantum non omnes argumentis longe lateque arcessitis attulerunt, ut probent, verbis *qui bona donavit* cet. Sophonium Tigellinum [4]) designari, sed versu 63 (*ipse lacernatae* cet.) Neronem, qui teste Suetonio (Ner. c. 28) Sporum quendam ("lacernatam amicam") quasi uxorem duxerit, longum est persequi [5]), et eo magis quod ista omnia jam Madvig (l. l. I. p. 33 sqq.) et W. E. Weber (ad vers. Germ. et in N. Jahrb. XXXII. p. 119) refutarunt. Ita igitur hic locus jam explicandus est, ut Juvenalem in eos homines universe invehi statuamus, qui omnia, quae more majorum tradita erant, contemnentes rem

---

[3]) Cujus verba quum ipse nihil ad rem satis aptum afferre possim, transcribere sufficiat: "*Bona capere* ist heredem ex asse fieri. Nach der Lex testamentaria Voconia konnte aber eine Frau gar nicht heres ex asse werden: die spätere Lex Papia Poppaea liess die Universalerbschaft der Frauen zwar zu, aber nur alsdann, wenn sie das jus liberorum, mehrerer Kinder, hatten: der Mann hingegen konnte ex asse erben, wenn er auch gleich nur solitarius war, d. h. Vater von *einem* Kinde. Die Frau nun, von der hier die Rede ist, hat nicht das jus liberorum, und folglich auch kein Recht *capiendi bona.* Der Mann ist aber nicht einmal ein solitarius; und lässt daher zu dass der adulter ihm zu einem Kinde verhilft, damit er selbst, als Vater eines Kindes sein Universalerbe werden kann.

[4]) Quippe quem scholiasta (ad v. 155) doceat, cum studiose equos aluerit quadrigarios, amicitiam Neronis nactum esse. — At alii opinati sunt Cornelium Fuscum his versibus denotari, cfr. IV. 110.

[5]) Vide si tanti est Rupertium, E. G. Weberum, Heinrich. cet.

familiarem in equis alendis et aurigandi studio profundere non erubuerint (cfr. VIII. 146 sqq). Fingit sibi itaque hominem nequissimum, quem scortum virile in publico vehentem, ipsum aurigare non pudeat quique ad eam humilitatem prolapsus, tamen cohortis praefecturam, qua perturbatae rei familiari subveniatur, affectare audeat. — *Flaminiam puer Automedon; nam lora tenebat ipse*, sic Hermann, quamvis non allatis quibus nixus sit rationibus, recte interpunxit. Jahnio vero, qui edidit: *Flaminiam: puer Automedom nam* cet. eo non adsentiendum est quod et *nam* post duo, quae ad eandem enuntiationem pertinent, verba aut nunquam aut rarissime reperitur positum et apertissimum est, Juvenalem, quum hominem illum prodigum et re equestri gaudentem "*puerum Automedontem*" dixerit, mox ista verba *nam lora tenebat ipse* addere, quibus illius nominis causa exponatur. — *lacernatae amicae*, viro foedissimi ejus hominum generis, quod v. 78 (sponsae turpes) notatur. Lacernis viri solum induebantur. 62—72. *sexta cervice* pro: sex cervicibus i. e. sella a sex servis gestata (hexaphoro). *Paene* ad *nuda* referendum est, neque enim Heinrichio crediderim *paene* cum *cathedra* apte et Latine jungi posse. — *Maecenate supino* quem mollem et effeminatum fuisse, quum alii autores testantur tum ipse Juvenalis XII. 39 apertissime indicat. — *signator falso, qui* cet in primo versu posita, praemissis aliis, quibus istius hominis quasi effigies adumbretur, cum maxima vi et pondere legentibus necopinato subjiciuntur. Quomodo haec verba aptissime sint interpungenda inter doctos viros parum constat. Nam E. W. Weber, Jahn, Hermann, ut nos, ediderunt, Ruperti et Haeckermann: *signator, falso qui* cet., Madvig, quem W. E. Weber secutus est, *signato falso, qui*. At Rupertio id repugnat, quod

signator ita nudum [6]) et nullo, quo, quid aut quomodo ille signaverit, indicetur, adjuncto verbo, vix poni potest. et quod ille *signator falsus* rectius legendum esse suspicatur, id omnium codicum consensu respuitur. Madvigio autem eo non adsentiendum est, quod neque ullius codicis testimonio nititur, et in verbis *signato falso* dissonum quoddam inest, quod Juvenalem evitasse verisimile est. Et durius quidem *signator falso* conjungi facile concesserim, at quum non ita pauca talis duritiae exstent exempla (Hor. Od. III. 17. 9 late tyrannus, Nep. minus aedificator, Juv. modo victor, sim.), haud scio an Juvenalis, quem verbis quam paucissimis sententiam constringere notum est, *signator falso* pro: *is, qui falso signavit* (sc. testamentum) dicere potuerit. — *Occurrit* cet. Dum ea quae oculis subjiciuntur depingit, magis magisque animo commotus, verborum et sententiarum contextum jam parum curat. Unde id repetendum est, quod proxime praecedente conjunctivo *vehatur* (conjunctioni *quum* subjecto) indicativus *occurrit* subsequitur. — *rubetam*, cfr. VI. 659. — *melior Locusta* i. e. venefica etiam sollertior quam Locusta, de qua vide Sueton. Ner. 33. — *per famam et populum* i. e. per famam (rumorem) populi. — *nigros* i. e. hausto veneno denigratos.

73—80. *Gyaris*, parva insula, inter Cycladas eo memorabili, quod illuc Caesarum temporibus exules relegabantur. Cfr. X. 170, Tac. ann. IV. 30. — *esse aliquid*; sic Jahn et Hermann cum opt. codd.; Ruperti autem et Heinrich: *esse aliquis*. Utramque quidem lectionem, quae ex scriptoribus ejus aetatis afferri possunt exempla quodammodo tuentur (cfr. Juv. II. 149, Pers. I. 129, Prop.

---

[6]) Quod Haeckermann Germanice interpretatur: ein Notar, unum saltem locum proferre debuit, in quo verbo, quod est signator, ea insit significatio.

IV. 7. 1. Plin. Ep. 1. 23) at optimorum codicum autoritati eo potius cedendum est, quod ita orationis partes *(aude aliquid — si vis esse aliquid)* sibi invicem melius respondent. — *probitas laudatur et alget.* Illa loquendi forma, qua per particulam *et* junguntur ea, quae potius non posse jungi videntur, ad audientium animos vehementer commovendos efficacissima, Juvenalis haud raro utitur; cfr. XIII. 91 (hic putat esse deos et—pejerat). — *debent* scil. nequissimi ii homines, de quibus supra dixi. — *praetoria* i. e. aedificia splendide exstructa. — *stantem extra pocula caprum,* qui in poculo caelatus erat. Cfr. Mart. VIII. 51. Quod in poculis capri potissimum insculpebantur, id ex eo repetendum est, quod ea animalia, ut vinetis nocentia, Baccho consecrata erant, cfr. Hor. Od. III. 8, 7 (voveram dulces epulas et album Libero caprum) Virg. Geo. II. 380 (Baccho caper omnibus aris caeditur). — *nurus corruptor avarae* (v. Prooem. p. 26) homo scelestissimus, qui suam ipsius nurum ad impudicitiam donis pellexit. — *sponsae turpes* "viri viris nubentes" Ruperti, cfr. II. 117. — *Si natura negat, facit indignatio versum:* verba ab omnibus interpretibus et saepe laudata, quae Juvenalis et modestiam ostendunt et satirae indolem aptissime declarant. — *Cluvienus,* versificator obscurus, cujus opportune nonnisi nomen exstat. Quem Juvenalis oblique ita perstringit, ut suam tenuitatem profiteatur, cui strictim quasi praeteriens comparet Cluvienum.

80—86. *Ex quo Deucalion* cet. Quae de Deucalione Pyrrhaque et terrarum illa eluvione veteribus fabulis tradita erant, omnia in risum vertit, dum Pyrrham, ut matrem sane curiosam, maribus recentissime creatis puellas etiamnunc nudas tamquam in matrimonium commendantem inducit. — *mollia saxa* ad eam loquendi formam (*πρόληψιν* vocant) pertinent, qua ad quod substantivum

ut jam proprie pertinens, id adponitur, quod post perfectam demum, quae verbo indicatur, actionem adponendum est. Cfr. VI. 160. Virg. Aen: premit placida aequora pontus. — *quidquid agunt homines;* nam in vita hominum accurate describenda satira versatur. — *farrago* rerum copiam et varietatem apte significat; et ipsum *satirae* nomen notissimum est congestum diversarum rerum quasi acervum indicare.

87—93 *avaritiae sinus*, verba ex togae similitudiue translata. Quae, enim quum indueretur, ante pectus colligebatur in sinum, in quem variae res, ut in peram, congererentur. — *alea quando hos animos.* Verbum *(cepit* aut sim.), ut saepe, omissum est. Quod Heinrich, Heineckium sequens, legi jubet: *alea quando haec animos* vilissimis vel potius nullis argumentis nititur [7]). — *dispensatore armigero*, ut qui domino quasi pugnanti pecuniam (arma) ministret. — *Simplexne furor* cet. Suethice reddo: månne det är en vanlig (enkel i. e. ej snarare mångfaldig) ursinnighet att . . Ei enim quod est *simplex* tanquam oppositum intelligendum est *duplex* v. *triplex* (multiplex). Haeckermann vero quod Germanice interpretatur: "Ist es nicht schierer Wahnsinn, pure Verrücktheit", et *ne* cum eo quod est *nonne*, et *simplex* cum eo quod est *merus* confudit. Nam "pure Verrücktheit" Latine *merus furor* certe diceretur. — *reddere* non = dare sed debitum dare, Heinrich et quem ille laudat, Oudendorp ad Suet. Tib. 16.

94—100. Jam queritur quod necessitudo, qua patroni cum clientibus quondam fuerant conjuncti, ita erat obliterata, ut quum antiquis temporibus maximi homines ne-

---

[7]) Nam quae est ista ratiocinatio: "*hos animos* ist offenbare Corruptele; *hos* ist überflüssig (?) und bei *alea* (?) vermisst man eine nähere Bezeichnung."

que villarum magnas moles exstruentes, neque epularum luxuriae dediti, ad coenam, frugalem quidem sed satis idoneam, clientes saepissime vocassent, nunc jam omnes patroni, ipsi per se delicatissime viventes, miseris clientibus nihil nisi exiguam stipem offerrent. — *fercula* Svecane non licet apte reddere. Nam de propria significatione, qua ferculum idem fere est quod feretrum (gestamen), paullatim eo deductum est, ut haud raro omnia quae ad coenam eodem ferculo una proferuntur, significet (Germani: Tracht). — *sportula:* donum illud, quod patroni clientibus quotidie distribuebant. Et dabantur ab initio cibaria, deinde plerumque pecunia (centum fere quadrantes v. 120, Mart. I. 60. III. 7 cet). Quod complures Neronem sportulas in pecuniam distribuendam mutari jussisse statuunt, Domitianum autem rectarum coenarum revocasse consuetudinem, id, quem laudant, Suetonius (Nero 16, Domit. 7) testis est ad publicas solum coenas sportulasque pertinere. — *primo limine.* Antea in atrium ad coenam admissi, clientes nunc jam in *primo limine* consistentes, in *parva sportula* acquiescebant. — *togatae.* In officiis erga patronos praestandis toga, quippe quod maxime honestum decorumque crederetur esse vestimentum, clientes induti erant (cfr. III. 127). — *Ille.* Alii interpretes (W. E. Weber) ipsum patronum h. l. denotari putant, alii (Heinrich) servum qui sportulam distribuat (i. e. dispensatorem). Illis potius adsentior; nam ita avaritia patroni aptissime amplificatur, neque liquet, quomodo dispensator, cujus in proximis nullo verbo facta sit mentio, nudo eo verbo *ille* satis aperte possit designari. — *ipsos Troiugenas;* viros genere nobilissimos, quin etiam qui a comitibus Aeneae originem deducebant non puduit sportula cogenda victum quaeritare (cfr. infr. 101 sq. 117). Quorum abjecti animi eo gravius efferun-

tur quod in primo versu positum est pronomen *ipsos* cui in ultimo versu *et ipsi* respondent (cfr. VIII. 147. 148). — *Da praetori, da deinde tribuno*, illa patronus servo sportulas distribuenti mandat.

101—106. Libertinus quidam, quamvis magnis acquisitis opibus, aliena vivere mensa non erubescens, propterea quod prior ad sportulam accipiendam adsit quodque copiis rei familiaris abundet, ut sibi detur prius quam praetoriis tribuniciisque viris, magna voce efflagitat. — *molles in aure fenestrae*, i. e. foramina aurium quibus annulos (inaures) gestare mos erat Asiaticus. — *quadringenta sestertia* census equester erat (Plin. Ep. I. 19, Hor. Ep. I. 1. 58. Juv. XIV. 323 sqq.), cui mox opponitur *purpura major* i. e. tunica laticlavia, quod senatorium erat ornamentum. Quod Ruperti libertinum illum *quotannis* ex quinque tabernis quadringenta cepisse docet, ea quae de tabernariis universe dicta sunt, inepte ad certam personam retulit, neque ullum verbum indicat eam summam *quotannis* rediisse. — *Corvinos*, homo genere nobilissimus, cfr. VIII. 5. — *Pallante et Licinis*. Pallas, libertus Claudii (Sueton. Claud. 28. Tac. pass.), Licinus Augusti (Suet. Aug. 67) aliorum spoliis ad summam opulentiam provecti erant. — *pedibus albis* i. e. cretatis, venales proponebantur servi, qui trans mare Romam travecti erant. Plin. H. N. XXXV. 18. — *quaeque salutato — nido*. In culmine templi, quod Camillus Concordiae dedicaverat, vetustate jam dilapsi, ciconias nidum fecisse Scholiasta testatur [8]). Quum igitur homines religiosi aedem salutantes praeterirent, ciconiae crepitantes quasi salutem reddebant. Cujus rei Juvenalis ita mentionem facit, ut id templum cito restaurandum esse oblique moneat. Cfr.

---

[8]) "templum Concordiae vetus in quo ciconia multa est".

Hor. Od. III. 6. W. E. Weber in N. Jahrb. XXXII. p. 120.

117—126. *Sed quum summus honor — quid facient comites.* "Bene comparant Martial. X. 10" Ruperti. — *comites* clientes vocati sunt, ut qui patronum in publicum prodeuntem comitarentur. Cfr. supr. v. 46. — *fumus domi* i. e. fumosa dumos (cfr. V. 153 *scabies mali*, prooem. pag. 21) fumosum coenaculum, in quod de toto aedificio omnis fumus abit. Cfr. Mart. III. 30. 3 (unde tibi togula est et fuscae pensio cellae). — *Densissima lectica.* Ita cum adjectivo, cui inest significatio quaedam pluralis, substantivum singulariter elatum Juvenalis frequentissime conjungit. Cfr. III. 232, XIII. 215, IV. 47 cet. — *sequiturque maritum — uxor:* jam videmus etiam uxoribus, dummodo ipsae adfuerint, sportulam esse oblatam.

127—136. *forum jurisque peritus Apollo.* In foro Augusti, ubi ille clarissimis Romanorum ducibus statuas triumphales posuerat (Sueton. Aug. 31), et hic locus et Plin. Hist. N. VII. 53. 54 [9]) signum Apollini dedicatum esse indicant, qui quum jam diu eo loco steterit, ubi jus dictum sit, per jocum *juris peritus* vocatur. — Triumphalis statuae honore quod multi ornati sint, qui militaris omnino expertes fuerint laudis, Plinius queritur Ep. II. 7; quibus sine dubio adnumerandus est ignobilis, quem denotat v. 130, Aegyptius, qui ad gradum Arabarchae (i. e. Aegypto orientali [1]) praefecti) provectus erat. Sunt qui Crispinum his verbis designari putent nec tamen argumentis satis probabilibus nitantur. — *cujus — fas est:* nota est inscriptio illa (v. Magaz. Pittor. 1857 p. 125) in

---

[9]) Quod interpretes tantum non omnes Hor. I. 9. 78 pro testimonio addunt, non viderunt, Horatium illo loco Apollinem, ut benignum poetarum fautorem tutelamque, laudare.

[1]) quam saepe esse simpliciter Arabiam appellatam, docet Heinrich.

aedificiis et monumentis veterum frequentius occurrens, qua monebantur praetereuntes, ne ea isto modo contaminarent. Cfr. Juv. VI. 310. Horat. Sat. I. 8. 38. Pers. I. 114. Sueton. Ner. 56.

135—146. Jam describit, quam sordide ipsi patroni secreto heluentur, unde haud raro subita mors insequatur. — *rex.* Quum regis nomine clientes patronum adulantes saepissime ornarent (Mart. X. 10. 5 Qui me respiciet, dominum regemque vocabo?), tum Juvenalis domini regisque nomina, in quibus quaedam superbiae contumaciaeque significatio veteribus Romanis videretur inesse, fastidiosis ejus temporis patronis saepissime imposuit. Cfr. V. 14. 81. 92. 137. 147. VII. 45 cet. — *vorabit* — *jacebit.* Quod Heinrich tempori futuro frequentativam, quam vocant, significationem h. l. inesse docet et explicat: vorare solet — jacere solet, vereor ne quid plane inauditum, quin etiam improbandum protulerit. Quis enim est, quin videat, *vorabit, jacebit* eodem modo futuram actionem indicare, quo proxima *abeunt, deponunt* praesentem, et ergo enuntiationis membra ad rem satis dilucide explicandam ita posse disponi: quum clientes abierint — tum ille vorabit — et jacebit. Sed alius generis est *eripient* III. 238, ad quem locum ille idem fere praedicat; quod enim ad potestatem conjunctivi praesentis obtinendam proxime accedit (verte: tör kunna beröfva). — *orbibus* h. l. pro: patinis, non pro mensis; nam cfr. Weber ad vers. Germ. N. Jahrb. XXXII. p. 159. — *luxuriae sordes;* figura, quae vocatur oxymoron, in Juvenale non raro occurrit, cfr. II. 9. 10. — *ponit* pro apponit, velut V. 51. — *apros, animal propter convivia natum;* ea verba jam Varronis temporibus proverbii loco erant celebrata (R. R. II. 4 suillum pecus donatum a natura dicunt ad epulandum). — *Ducitur iratis plaudendum funus amicis,* qui quum spe-

raverint fore ut sibi legatum adscriberetur, spe dejecti, iracundia inflammati, senem illum jam declarant justam obisse mortem. — Quod Haeckerman *plaudendum* non esse ad *funus* referendum, sed tamquam nudum positum interjectionis locum tenere statuit (et interpretandum esse: *Bravo* vel sim.) id Madvig, de v. 28 (Opusc. Acad. 1. 56) disserens, satis copiose mihi videtur refutasse.

147--157. Jam se ipsum hortatur, ut omnibus vitiis in dies ingravescentibus satiras scribat, id quod tamen dissuadentem alium inducit, qui scribendi libertatem jam dudum ereptam esse moneat. — *utere velis, totos pande sinus*, verba ex nautarum loquendi consuetudine translata, cfr. Plin. Ep. VIII. 4. 5. immitte rudentes, pande vela ac si quando alias toto ingenio vehere. — *priorum*, qui in satiris scribendis versati sunt, Lucilii, Horatii cet. — *Mucius*, in quem Lucilius saepe invectus est (Pers. I. 115: secuit Lucilius Urbem, te Lupe, te Muci cet.) — *Pone Tigellinum — arena.* Hi versus (maximeque v. 157) interpretantibus magnas attulerunt molestias; neque dissimulandum est mutationem illam temporum *lucebis, deducis* lectionem, quam tuentur plurimi codices, quodammodo reddere suspectam. Unde factum est, ut Madvig [2]), doctissimus talium rerum existimator, *diducit* legendum esse statuat, cujus verbi subjectum ex proximo *qua* (v. 156) repetendum sit. At quum inter illa verba *lucebis, deducis* alia enuntiatio *(qua — fumant)* qua orationis connexus quodammodo infringitur, interposita sit, eam temporum mutationem, praesertim in Juvenale [3]) non crediderim

[2]) Madv. Opusc. Acad. II. 176: "quem ut cum rhetoribus loquar, colorem recipit praesens illud cum futuro conjunctum, hoc quidem sententiarum nexu, ubi posito imperativo, quid actionem aut conatum secuturum sit ostendatur cet.

[3]) Quem satis notum est in descriptionibus ad praesentis temporis formam haud raro necopinato transire.

esse improbandam. Quare ita interpretandum esse censeo: Si vero Tigellinum ponis (proponis, i. e. describis), gravissima poena tibi erit exspectanda. Vivus ureris pectore ad stipitem adfixo et — (sequente jam praesentis temporis verbo, dum poeta, tormentorum mentione animo vehementer commotus, poenam tamquam praesentem sibi fingit —) media arena ardens sulcum deducis (i. e. lucis radium trahis s. fundis). — *Tigellinum*, qui Neroni carissimus fuit sodalis omniumque facinorum libidinumque socius, de quo vide Schol. ad hunc loc. Sueton. Tacit. pass. — *taedis in illa* cet. de hoc supplicii genere, quod ita erat comparatum, ut damnatis in ipso amphitheatro ad palum devinctis ligna circumstructa accenderentur, conferre jubent Senec. d. Ira III. 3, Tertull. Apol. 39 cet. Alius generis erat "tunica molesta" VIII. 235. — *qua stantes — fumant*, versus paene totus ex spondaeis compositus, quibus gravis duraque versus conclusio efficitur, ad atrocitatem poenae depingendam accommodata. — *et latum media sulcum deducis arena*, quae verba alii aliter interpretantur, videmur nobis aptissime sic explicare, ut sit sulcus nihil aliud ac radius lucis (ardentis taedae) velut apud Virgilium Aen. II. 697 (longo limite sulcus dat lucem). Quam enarrationem locus Ovidianus confirmat: dispersos traxere cadentia sidera sulcos, ubi *trahere sulcum* idem fere est quod *ducere* (deducere) *sulcum:* Flammam enim qua illi miseri comburuntur, perflante vento huc vel illuc propelli nobis fingamus, quo facto eam necesse est quasi sulco terminari.

158—171. Illo, cum quo poeta se colloquentem inducit, ultra monente, quam periculosum sit satiras quamque securum epica carmina conscribere, proponit sibi, ut in mortuorum vitia satiris invehatur. — *Qui dedit ergo* cet. Quod Tigellinum, qui ut ad magnam perveniret hereditatem, tale facinus commiserit, his verbis perstringi scho-

liasta docet, vereor ne ista omnia ex poëtae verbis, nullo alio testimonio nitens, sibi visus sit posse colligere. Nam mihi quidem videtur h. l. universum venificorum genus, non certa persona designari. — *pensilibus plumis*, quibus pulvini lecticae farti erant. — *accusator erit, qui.* Heinrichio pronomen *ejus* praetermissum esse statuenti [4]), eo non adsentiendum est quod tali genitivi omissione per se satis dura, enuntiatio tota, maxima ambiguitate et obscuritate necesse est involvatur. Quare sic interpretor: accusator erit qui verbum dixerit: hic est: i. e. si id modo verbum *hic est* dixeris, credet te, ut accusatorem, facinora, quorum sibi conscius est, exprobrare (et tamquam gravem adversarium, acerbissime te insectabitur). *multum quaesitus Hylas*, qui Herculis deliciae fuerunt, poetis saepissime celebratus, quin etiam decantatus (Virg. Geo. III. 6 cui non dictus Hylas puer). — *urnamque secutus;* his verbis defletus Hylae exitus in risum vertitur, cfr. supr. v. 10, 81. — *Inde irae et lacrimae*, verba quae jam dudum in proverbium cesserant, cfr. Terent Andr. I. 1. 99 Hinc illae lacrimae, Horat. Ep. 1. 19. 41. — *Flaminia atque Latina.* Quum Romanos ad vias mortuos sepelire solitos esse constet, tum Flaminia eo notabilis est quod *Paris* (Mart. XI. 13) Latina, quod *Domitianus* (Suet. Dom. 17) ibi est humatus.

---

[4]) Quare ita esse explicandum: *accusator erit* ejus *qui verbum dixerit* i. e. si verbum dixeris, tuus erit accusator (te accusabit).

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 146 5